DE

HEGESIPPO, QUI DICITUR, IOSEPHI INTERPRETE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE UNIVERSITATIS MONACENSIS RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

FRIDERICUS VOGEL
BETVARENSIS.

ERLANGAE.

TYPOS CURAVIT A. DEICHERT.

MDCCCLXXX.

Impressit Junge et filius.

EDUARDO WOELFFLINO

MAGISTRO SUO

NATALICIA QUINQUAGESIMA

GRATULATUR

ANIMO PIO GRATOQUE

CAL. JAN. A. MDCCCLXXXI. AUCTOR.

Praefatio.

Ut Hegesippi de bello Judaico libros per tria fere saecula nemo separatim typis describendos curavit (cf. Weberi praef. editionis suae Hegesippi Marburg. 1864), ita plus centum triginta praeterierunt anni, ex quo in auctorem illius operis viri docti inquirere desierunt. Desierunt, inquam, inquirere; nam fuerunt olim, qui haud mediocrem operam in hac quaestione solvenda consumerent. Nominatur autem inter eos, qui recentiore aetate, ut hinc initium sumam, primi ei studium impenderunt, Erasmus; qui cum hos de bello Judaico libros falso Ambrosii operibus, quae ipse edidit (Basil. 1527), ascriptos esse dixisset, controversia illa antiquitus mota denuo excitata est, utrum haec[1]) Flavii Josephi latina interpretatio, quae Hegesippi sive Egesippi nomen prae se fert, ab Ambrosio episcopo Mediolanensi facta esset necne. Qua de re quas varias ac diversas docti protulerunt sententias, summa cum diligentia et doctrina collegit Vallarsius in Rufini editionis (Veron. 1745) praef. II 16 (= Migne patrolog. lat. XXI p. 258 sqq., quo ex volumine ipse illam

---

1) Sed ut hanc belli Judaici interpretationem ab altera, quae plerumque Rufino tribuitur, discernas, haec utpote ad verbum facta totidem atque Josephi ipsius opus i. e. septem libris continetur, contra ‚Hegesippus', ut Julii Caesaris, qui editionem Weberi morte interruptam absolvit, verbis utar (edit. p. 391) ‚Josephum ita secutus est, ut eius quattuor priores libri respondeant singulis Josephi libris, quinto cum sexto et nonnullis septimi particulis quintus Hegesippi. Neque tamen verbum de verbo transtulit, sed vel e pleniore Josephi narratione suam excerpsit vel rhetorico more maxime locis communibus et verborum sententiarumque floribus nonnumquam satis splendidis adauxit, id quod praesertim in orationes cadit graecarum modum plerumque multo superantes vel omnino additas etc.' — Prima autem huius interpretationis verba sunt ‚Quattuor regnorum libros'.

commentationem cognovi). Cum enim Erasmus Scaliger Casaubonus alii hanc quoque interpretationem Rufini esse iudicaverint, Vallarsius primum argumenta conquirit, cur a Rufino abiudicanda sit, deinde Ambrosium auctorem esse, quod illi negant, cum codicum tum doctorum quorundam auctoritate comprobare studet.

Cum igitur iam sexto decimo saeculo de auctore disceptatum esset, primus Joh. Frid. Gronovius recte intellegens, verborum concertatione, cum ex suo quisque sensu iudicantes alii Ambrosii opus esse affirmarent alii negarent, nihil effici, rem ad firmiores rationes ita exigere conatus est, ut et Ambrosii dicendi genus et Hegesippi — retinemus enim brevitatis causa illud nomen tralaticium — accuratius exquireret et inter se compararet. Quibus studiis, quae in monobiblo observatorum in scriptoribus ecclesiasticis (Daventriae 1651) proposuit, quamquam minime id quod petebat, ut Ambrosium Josephi interpretem esse demonstraret, consecutus esse mihi videtur, tamen rectam viam ingressus erat ac profecto dolendum est, quod qui post eum eandem rem tractaverunt, hac via relicta Gronovii sententiam alii velut Bollandiani Valesius Mazochius Vallarsius Gallandius Havercampius studiose amplecti, alii, quorum in numero sunt Benedictini et Tillemontius, fastidiose aspernari satis habuerunt, cum argumenta ab illo allata aut confirmare et augere aut infringere et refellere deberent. Nam quid ad rem ipsam valet, quod Benedictini in Ambrosii editione (Paris. 1686—90) in Hegesippo *nihil inesse Ambrosiani neque stili neque iudicii* censent, contra Labbeus *ovum ovo similius* esse quam utriusque orationem negat!

Sed etiamsi plures eorum, qui suffragia tulerant, Ambrosium illius operis auctorem habuerunt, tamen Gallandius (bibl. patr. tom. VII proleg. huius operis) aegre tulit quemquam esse, qui id a magno antistite Mediolanensi abiudicare auderet. Quare, ut ait ipse, complura litterarum monimenta congesserat, ut eidem sancto ecclesiae doctori pro viribus historiam illam assereret, iamque manus operi admoverat, cum Alex. Sym. Mazochii luculentam hac de re dissertationem (in commentariis in vetus marmoreum Neapolit. eccl. Kalendarium Neap. 1744 vol. III p. 780—792) cognovit. Quam tanti putavit, ut, ne acta ageret, eis quae ipsi in eandem sententiam praesto erant, abiectis illam ad institutum

accommodatam describere mallet contractamque praefationis loco editioni suae praeponeret. Mazochii autem librum uti Caesari inspicere non licuit, cum mihi ipsi quamvis vehementer cupienti non obtigerit, in eis, quae Gallandius descripsit, acquiescere cogor. Solatio tamen est, quod vix dubium potest esse, quin hic eodem quo Mazochius incitatus studio nullum argumentum, quo Ambrosii partes firmentur, reliquerit, praesertim cum Mazochii verba non summopere contracta esse inde appareat, quod utraque commentatio pari fere paginarum numero continetur. Item Ambrosium auctorem esse, ut supra diximus, Vallarsius iudicat, qui anno post editam Mazochii dissertationem hac de re disputavit, ita tamen, ut illius nusquam mentio fiat; Vallarsii autem ipsius scriptio ut a Gallandio neglecta est, ita Weberum et Caesarem fugisse videtur. Verum post Vallarsium novi neminem, qui hanc quaestionem, cui operam navaret, dignam duxerit. Nam Theoph. Cortius Hegesippo, sicuti eius libros prius Wassius ad Sallustium enarrandum adhibuerat, in commentariis ad Lucanum et Plinium diligentissime quidem usus est, sed de auctore operis nihil videtur laborasse; Weberus autem de opere ipso omnium editorum longe optime meritus de auctore satis habuit dixisse (p. 398), *nihil obesse, quominus eos libros S. Ambrosio, cuius nomen antiquitus prae se ferant*, *relinquamus*, immo dilucidis verbis (p. 394. 399) reliquas quaestiones longius promovendas ac penitus perscrutandas aliis commendavit.

Per tam multos igitur annos illa quaestio, quae dum hominum doctissimorum contentionibus dissensionibusque viguit, magno in honore fuerat, ita neglecta iacet, ut qui hodie hanc rem retractandam curat, vere nominetur avis alba. At supervacaneum est: Aug. Reifferscheidus, inquiunt, nuper (a. 1867) totam profligavit quaestionem his verbis (bibl. patr. p. 198): ‚Dass der Verfasser dieses Auszuges aus Josephus Ambrosius ist, hätte nie bezweifelt werden sollen, da derselbe durch die Autorität der ältesten Handschriften als solcher beglaubigt ist[1]).‘ Itaque cum nodum non solvendo, sed secando

1) Fidentissima sane verba neque tamen inaudita: eadem enim fere Gallandii: *quod sane factum nollem* (sc. Ambrosio opus abiudicari); *cum eam historiam fetum esse Ambrosianum tam certum sit quam quod certissimum.*

expedivisse videatur, omnes[1]) licet hoc duce et auspice usi adnuant linguisque faveant, ipse tamen occino.

Tametsi igitur recentiores omnes — sunt autem oppido pauci —, eorum qui olim in Hegesippi libris studia posuerant, plures Ambrosii partes defendisse negari non potest, non deesse tamen videmus, ad quos tanquam ad patronos hospes ipse in ecclesiasticis litteris me applicem. At quae est Erasmi auctoritas, quid valent Benedictini, quanti Tillemontii (hist. eccl. I 541) est sententia?[2]) codicibus ipsis omnis controversia disceptatur. Audio; introspiciamus ergo libros et videamus:

I. Quid codicibus comprobetur.

Ac primum quidem de Hegesippi vel Egesippi nomine, quod in plurimis codicibus invenitur, disputabo illud tamen praefatus, hac in re me non mea, sed ab aliis iam allata referre. Nempe pridem explosi sunt, qui ab illo Hegesippo, qui altero post Christum saeculo fuit (cf. Hieron. de vir. ill. 22), hoc opus scriptum esse dixerunt. Quod quamquam insipientis vel certe dormientis est dicere, tamen mirum in modum — eis scilicet mirum, qui in codices tanquam integros iurare consueverint — in nonnullos codices hic ridiculus error irrepsit. Cf. Montefalconi bibl. biblioth. p. 124 A: Vatic. 1998 saec. IX vel X (?) *Hegesippi apostolorum temporibus proximi*; p. 124 C: Vat. 1987 s. XII *Hegesippi apostolorum discipuli disertissimi* (= p. 373 B cod. Laur., p. 423 C cod. Flor.). — Quam multa autem inepta hoc de nomine hariolati sint, eius rei locupletem testem profert Vallarsius Ang. Decembrium, qui (in politia litteraria VII p. 566) hanc originationem exponit: ‚Aegisippus vocabulum historici Graeci ex capra et equo compositum: qui

---

1) Si quem iuvat Reifferscheidi verba latine versa legere, conferto Jul. Caesaris ind. lect. Marb. hibern. 1878 p. III.

2) Videlicet G. J. Vossii et C. Barthii opiniones, qui Ambrosium auctorem esse item negant, reticere satius duco, quia ceteris in rebus longe a veritate atque a sanitate aberraverunt.

de bello Titi cum Judaeis scripsit a doctore Ambrosio latine translatus'. Veram autem vocis originem iam vidit Js. Vossius, cum dicit (in appendice ad libr. de LXX interpret. p. 127) ortam eam esse ex Josippo, quod Mazochius accuratius ita explicat, ut pro *Ex Josephi historia de bello Judaico* a semidocto *Egesippi historia de b. J.* scriptum esse iudicet. Quam ad sententiam [1]) per se valde probabilem etiam magis confirmandam monent, cum in multis aliis libris, tum in ipsius huius operis codicibus sexcenties pro Josepho legi Joseppum vel Josippum. Neque omittere velim testimonium grammatici cuiusdam noni fere saeculi (Cram. anecd. gr. Oxon. II p. 94) a Caesare scite citatum (p. 391): *τὸ Ἰώσηπος* [ut in graeco Josephi exemplari semper scriptum est] *οὐ παρὰ τὸ ἵππος, διὸ οὐδὲ διὰ δύο π γράφεται καὶ διὰ η*... Sed cum haec res tam sit manifesta, ut vix ullus scrupulus residere possit, de tempore autem, quo illud mendum codices occupaverit, infra expositurus sim, ad Ambrosium revertamur.

Montfaucon enumerat viginti fere codices Hegesippi, qui omnes illud depravatum nomen exhibent. Ambrosium interpretem appellant non amplius quattuor: p. 72 C cod. Vat. ex bibl. Petavii 741; tribus ceteris aliquantum auctoritatis eo detrahitur, quod Ambrosium interpretem, auctorem autem operis Hegesippum apostolorum discipulum praebent: p. 124 A cod. Vat. 1998, p. 423 C cod. Flor.; quarti denique (p. 373 B) cod. Laur. plut. LXVII membr. 16 haec est monstruosa inscriptio ‚Egesippi discipuli apostolorum de bello Jud. lib. Ambrosio Camaldulensi interprete'. Camaldulensem enim Ambrosium, quem veterrimum novimus, anno 1386 natum et a. 1439 mortuum esse Mehus (ed. epist. Flor. 1759) docuit.

At huic inconditae codicum turbae cum minus fidei et momenti insit, codices ab editoribus adhibitos vel laudatos a subtilioribus criticis desiderant. Neque ipse recuso; quamquam in promptu est, quia plerique Ambrosio favent, maiore cum cura eos codices conquisitos esse, qui ipsorum sententiae

1) Eadem coniectura commendatur Itala vocis forma *Giuseppe*, qua comparata forsitan malis mecum litteram g in Hegesippo ex i vocabuli Josephi enodare et statuere, genuinam inscriptionem fuisse *e iosepho* vel *e iosepi historia etc.*

non refragentur. Vereor tamen, ut adversarii rem felicius gerant. Unum affert Reifferscheidus l. l. cod. Vatic. 170 s. IX vel X (ex bibl. Palat.), qui hanc habet inscriptionem: *incipit tractatus sci ambrosii epi de historia iosippi captivi translata ab ipso ex greco in latinum liber primus.* Unum deinde nominat Vallarsius, quem commemorat Holstenus in addendis ad Gronov. monobiblum. Neque tamen duos codices attulerunt, sed unum eundemque. Sed maiorem delectum reperimus in edition. Weber. p. 392 s., ubi sex describuntur codices, qui illam interpretationem Ambrosio tribuunt, non omnes tamen pari fide digni. Omni primum auctoritate caret cod. Basiliensis (ed. Web. p. 393), quippe qui tam recentis sit originis, ut eum ex editione principe[1]) descriptum esse Weberus suspicatus sit. Tum codices Bruxellensis et Cremifanensis, quorum uterque nisi ex catalogis, ille ex Haenelii, hic ex Fabricii, notus non est, libris a Montefalconio nominatis maioris ponderis non sunt. Huc accedit, quod codicis Cremif. inscriptio (Fabric. bibl. med. aet. VIII p. 584): *tractatus Ambrosii episcopi de historia Josephi captivi translati ab ipso de Graeco in Latinum* suspicionem movet, hunc librum illius, quem saepius iam diximus, codicis Vaticani esse apographon. Codices deinde et Cantabrigiensis (Haverc. Joseph. edit. II p. 196), ubi haec primi libri subscriptio invenitur: *Beatissimi Ambrosii episcopi translatio ex Josepho*, et Claromontanus, quem hanc quarti libri inscriptionem habere: *S. Ambrosii episcopi dispersionis Judaeorum Flavii Josephi historiographi capitulum quartum* ipsi Benedictini (ed. Ambr. II, praef. 5.) sunt auctores, hi igitur codices idcirco minus idonei sunt, quibus confisi argumententur, quia temporis, quo scripti sint, definitio deest.

Sed quid illi de hoc noviciorum librorum grege sine stemmate quaerunt? antiquissimos petunt, antiquissimis ipse nititur Reifferscheidus. Praetereo igitur, quod fortasse praeterire non licet, in omnibus codicibus, quorum inscriptiones Weberus ipse refert, i. e. in cod. Bernensi Lipsiensi Oxoniensi Ambrosii nomen deesse. Transeamus ad codices

1) Illa Parisiis a. 1510 emissa Ambrosii nomen in titulo praebet, quod in utraque Gualtheri editione (1559 et 1575) remotum est.

antiquissimos, inter quos numerandos equidem novi hos: codicem Mediolanensem Mabillonio teste (Mus. Ital. p. 13) septimo saeculo scriptum, Cassellanum, quem Jac. Grimm procul dubio multo antiquiorem saeculo nono (cui cum catalogis bibl. Cassel. consentientes Weberus et Caesar tribuunt) saeculo septimo exaratum esse videri illis catalogis adscripsit, Bernensem saeculi noni librum, recentissimum denique antiquissimorum Vaticanum. Huius testimonium supra descriptum compensatur pondere, quod habet codex Bernensis, qui ita incipit: *In hoc corpore continentur Egesippi historiae libri numero quinque. Cum dei auxilio.* Deinde Cassellanus, cuius praecones iam multi exstiterunt, ab initio nescio quo pacto mutilus in superiore margine plurimorum foliorum exhibet ad sinistram *Lib. I. etc.*, ad dexteram *Josephi.* Qui codex ut in omnibus ceteris rebus, ita hac quoque in re purissimum se et integerrimum praestat, quod pro illo perplexo Hegesippi vocabulo incorruptum Josephi nomen retinuit. Jam unus restat codex, ultimum adversariorum refugium, Mediolanensis. Ac fateor, si res in unius Mabillonii testimonio posita esset, eam non facilem ad explicandum esse futuram. Sed percommode accidit, ut his annis eum codicem cum Reifferscheidus (Sitzungsber. d. Wien. Akad. phil. hist. Cl. LXVII p. 473) tum Niesius, qui studia sua nondum in publicum ab ipso proposita cum Caesare (ind. lect. hib. Marb. 1878 p. IV et VII) et mecum ipso gratissima liberalitate communicavit, denuo diligentissime inspicerent et describerent. De subscriptione quidem primi libri — inscriptio autem deest, quia in hoc quoque codice prima capita desunt — cum Mabillonio consentiunt, cum hanc esse dicunt: *Egesippi liber primus explicit. Incipit secundus Ambrosi ēpi de grego transtulit in latinum.* Sed Niesius, qui priorem codicis partem recentiorem esse animadvertit, hanc saeculo octavo vel nono, posteriorem septimo vel octavo tribuit. Quamobrem summi momenti videtur esse illud, quod cum libri reliqui ex Mabillonii verbis titulo careant, in multis foliis quinti libri i. e. in parte vetustissima manu scripta in capite paginarum perinde atque in codice Cassellano apponuntur verba *Joseppi liber quintus.* Itaque antiquior ille librarius nihil de Ambrosio reliquit, primi libri autem subscriptio multo recentior suspecta ipsa atque eo minorem fidem facit, quod idem

Niesius [1]) perspexit, illud vocabulum ‚Egesippi' altera manu correctum esse ex ‚Josippi'.

Ergo vel antiquissimorum codicum, quorum praesidio adversarii se iactaverunt, plures eorum partibus favent, qui Ambrosii nomen ab hac Josephi interpretatione removeri volunt. — Ceterum ne id quidem neglegendum est, quod hoc opus cum genuinis Ambrosii operibus eodem codice contineri nusquam legimus, cum exstent codices, qui una cum Hegesippo aliorum scriptorum opera amplectantur veluti Augustini (Montf. p. 125 A), Eutropii (ib. p. 373 C), Cassiodori (ib. p. 927 B) etc.

Quo ex codicum certamine quoniam aequo, ut videtur, Marte discessimus, iam audacius Ambrosii tutores aggrediamur inquirentes:

II. Quid ipso opere de auctore indicetur.

Hegesippus cum, ut supra monuimus, Josephum non tam diligenter secutus sit, ut verbum e verbo exprimeret, eis quae ipse immemor tanquam interpretis muneris ex sua aetate suisque rebus adsumpsit, exoptatam crisis ansam praebet. Quibus ex verbis sive cum ostentatione quadam interpositis sive temere stilo elapsis primum qua interpres fuerit aetate exquirere studebimus, deinde quantum licebit, eiusdem vitam ac mores adumbrabimus, denique compluribus verbis exponemus, num ea, quae de huius operis auctore conquisiverimus, cum Ambrosio conveniant.

1) De temporum ordine et auctoris aetate a Gronovio et Mazochio illustratis haud magna dissensio est. Neque difficile erat, G. I. Vossii sententiam, qui Hegesippum post saeculum decimum fuisse dixit (hist. gr. II 14, hist. lat. III p. 707), ut delirantis refellere. Computatur autem verum aetatis tempus ex his potissimum locis: Heg. III 5, 11 *Denique ferunt, cum ludi scenici in ea urbe (Antiochia) celebrarentur, quendam actorem mimorum elevatis oculis ad montem Persas vidisse advenientes et dixisse continuo: aut somnium*

---

1) Nec tamen primus vidit; idem enim ab aliis iam animadversum esse infra ostendam.

video aut magnum periculum. ecce Persae. Recte intellexit Gronovius his verbis eandem incursionem describi, quam Ammianus Marc. XXIII 5, 3 ita narrat: *cum Antiochiae in alto silentio scaenicis ludis mimus cum uxore inmissus e medio sumpta quaedam imitaretur, populo venustate attonito coniunx: nisi somnus est, inquit, en Persae.* Quibus verbis cum hic addiderit: *et haec quidem Gallieni temporibus evenerunt*, illum auctorem post Gallienum, cuius imperium in annos 254—268 incidit, scripsisse pro explorato habere debemus. Neque vero ceteris in rebus cum Gronovio consentio, cui (monob. p. 5) hic locus desumptus videtur ex Ammiano, *ita tamen ut aliquid infuscaretur*, sed Caesarem sequor, cuius iudicium hoc est (ed. p. 395): *neque verbis tantopere concinunt neque ipsa re indicant artiore ratione utrumque scriptorem cohaerere*[1]. — Propius autem ad Ambrosii aetatem, quem illi auctorem evincere student, ducimur altero eiusdem capitis loco: Heg. III 5, 23 *urbs (Antiochia) tertio loco ante ex omnibus, quae in orbe romano sunt civitatibus aestimata, nunc quarto postquam Constantinopolis excrevit civitas Byzantiorum, Persarum quondam caput, nunc repulsorium.* [Ios. III 2, 4 *Ἀντιοχίας, ἣ .. μεγέθους τε ἕνεκα καὶ τῆς ἄλλης εὐδαιμονίας τρίτον ἀδηρίτως ἐπὶ τῆς ὑπὸ Ῥωμαίοις οἰκουμένης ἔχουσα τόπον*]. De illis quidem primis verbis disceptatio vix esse potest, quibus tempus post annum 330, quo Constantinus sedem imperii Byzantium transtulit atque huic urbi nomen Constantinopolis indidit, significari satis elucet. Obscurior est sententia verborum *Persarum quondam caput, nunc repulsorium*, quae ad Antiochiam, non ad Constantinopolim revocanda esse manifestum est. Atque rectam explanandi viam iam Gronovius munivisse videtur, cuius verbis (monob. p. 225) prorsus assentitur Caesar (ed. p. 396): *Tunc Antiochia Persarum caput erat, inquit Gronovius, cum Seleucorum et Antiochorum re-*

---

1) Ceterum perquam inconsiderate illud dixit Gronovius, quippe qui in pagina insequenti haec disserat (monob. p. 6): ‚Ego ut nihil temere adfirmem, non valde repugnarim tamen, si quis aetate adolescentiori aut in exordiis pontificatus sui opus hoc lusisse disertum antistitem contendat.‘ Constat enim Ammianum tum demum stilum cepisse, cum Ambrosius iam posuerat vel positurus erat.

gias haberet, cum ex Antiochena regia iura Persis acciperet. Quam ad sententiam confirmandam non possum non afferre hoc testimonium ex Hegesippo ipso sumptum: Heg. V 51, 8 *Antiochiae quoque eos (Iudaeos) vetustis odiis gentilis populus insectabatur, eo quod reges Persarum, quae de Hierosolymitana urbe donaria iure victoriae vindicaverant, synagogis contulerant Antiochenis de suo quoque alia largiti,* quibus e verbis collatis cum Iosephi (VII 3, 3) *Ἀντίοχος μὲν γὰρ ὁ κληθεὶς ἐπιφανὴς Ἱεροσόλυμα πορθήσας τὸν νεὼν ἐσύλησεν, οἱ δὲ μετ᾽ αὐτὸν τὴν βασιλείαν παραλαβόντες τῶν ἀναθημάτων ὅσα χαλκᾶ πεποίητο πάντα τοῖς ἐπ᾽ Ἀντιοχείας Ἰουδαίοις ἀπέδοσαν, εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν ἀναθέντες* dilucide apparet, Seleucidas ab Hegesippo reges Persarum nominari atque hac de causa eorum regiam caput Persarum. Repulsorii autem nomen neque mirum neque ineptum videbitur considerantibus, in hac urbe imperatores Romanos veluti Constantium et Valentem saepius hiberna egisse sive expeditionem in Persas facturos sive inde regressos. Omnis vero dubitatio praeciditur Ausonii verbis, cuius ipso illo urbium ordine admonemur. Roma enim, Constantinopoli et Carthagine collaudatis ab illo Antiochia et Alexandria coniuncte versibus celebrantur, quorum octavus hic est: *Illa* (sc. *Antiochia superbit*) *quod infidis opponitur aemula Persis.* Iusto tamen subtilior est Gronovii interpretatio, qui illud nomen inde repetere vult, quod ‚post turpem Ioviani pacem Nisibinque traditam haec urbs Syriae munimentum‘ fuisset (cf. Amm. XXV 9, 8, ubi Nisibin a. 363 Persis proditam esse cum indignatione narrat). Cui sententiae quamquam nihil gravius obstat, tamen non ita comprobata est, ut ex illis ipsis verbis Hegesippum post a. 363 fuisse concludere liceat; illud unum constat aliquanto post a. 330 haec scripta esse.

Hac in difficultate subsidium comparatur ex alio loco eoque gravissimo, qui quantum emolimenti praeberet, priores criticos non fugit. Sunt autem haec verba V 15, 24: *Tremit hos (Romanos) Scotia, quae terris nihil debet, tremit Saxonia inaccessa paludibus et inviis saepta regionibus, quae licet furta belli videatur audere, et ipsa frequenter captiva romanis accessit triumphis. validissimum genus hominum perhibetur et praestans ceteris, piraticis tamen myoparonibus non viribus*

nititur fugae potius quam bello paratum. Recte iam Gronovius (monob. c. I) ‚haec verba esse hominis qui Theodosium novisset' adnotavit delegans legentes ad Pacatum paneg. Theod. 5 et Sidon. epist. VIII 6. Diligentius autem locum retractavit atque sagacissime interpretatus est Mazochius. Proficiscitur idem a verbis Pacati: *Saxo consumptus bellis navalibus offeretur? redactum ad paludes suas Scotum loquar?* Quibus collatis cum eis, quae de eadem victoria apud Ammianum XXVII 8, 5, Claudianum IV cons. Honor. v. 31, Symmachum X 22 legimus, luculenter demonstravit, illa Hegesippi revocanda esse ad bella a Theodosio, patre imperatoris eiusdem nominis, feliciter gesta a. 367. Neque tamen hac ratiocinatione, contra quam quid dici possit non video, contentus ex eo, quod Theodosii [1]) victoria de Alemannis a. 368 vel 369 parta posterioraque bella ab eodem haud minore gloria digna nusquam in Hegesippo memorantur, acutissime auguratus est, hanc interpretationem illo ipso anno 367 vel 368 factam vel potius editam esse [2]). Utut autem haec res se habet, scriptam eam esse post a. 367 pro certo affirmamus. Annum contra, ante quem scripta sit, eo satis certum definire posse mihi persuasum est, quod

---

1) Nempe Mazochio alia quoque est causa, cur ita argumentetur. Vult enim persuadere, illa verba ab Hegesippo eo tantum consilio inserta esse, ut *recenti de Scotia atque Saxonibns victoriae applauderet* atque Theodosio gratum se faceret. Ad ostendendum autem, iam a pueris Ambrosio, quem Iosephi interpretem esse nihil habet antiquius ut demonstret, cum Theodosio filio amicitiam fuisse, affert Ambrosii ep. 51, a. 390 ad illum imperatorem missam. Quod num ex his verbis: *Et veteris amicitiae dulcis mihi recordatio est et beneficiorum, quae crebris meis intercessionibus summa gratia in alios contulisti, gratiae memini* sumere liceat, aliorum sit iudicii; equidem ab universa hac sententia longe sum alienus.

2) Utrumque enim discernit Mazochius disputans haec: *perquam verisimile videtur, eum librum cum superioribus iam antea adumbratum fuisse, deinde ut fit ex intervallo aliud alibi adiectum aut eliminatum fuisse: ac demum a 368 in gratiam duci Theodosii ea recentia, quae dixi, in Scotia atque Saxonia facinora inserta fuisse.* Quae quamquam non mea est sententia, tamen ea ad meam sententiam magis quam ad Mazochii comprobandam apta esse infra videbimus.

maximarum illarum totius fere terrarum orbis perturbationum, quas gentium migrationem appellare solemus, ab Hegesippo ne uno quidem verbo mentio fit. Atqui is, qui totiens res a Iosephi verbis ac temporibus alienissimas inserere non veritus est, qui maxime in rebus geographicis multus est, cur Chunnos Alanos aliasque gentes innumerabiles, quarum nomina apud omnes eius aetatis scriptores [1]) iterum ac saepius leguntur, commemorare dubitaverit, plane non intellego. Et commemoravit Hegesippus Alanos neque id paucis verbis neque prorsus ex Iosepho pendentibus. Vetera enim Alanorum bella ex Iosepho (VII 7, 4) interpretatus aliunde sumpta haec interposuit: Heg. V 50, 22 *Namque insolentia quadam propriae fortitudinis et in ceteros despectu superbo, simul ut familiarem sibi eminus decertandi consuetudinem refugiendique facultatem tali fraude praetexerent, laqueos iacere atque hostem innectere ars Alanis bellandique mos est.* Num haec eius verba esse putas, qui, ut Amm. XXXI 3, 1, non ignoret, Alanorum regiones ab Hunnis pervasas ipsorumque multos interfectos et spoliatos esse? Nimirum imperium Romanum ille semper invictum praedicat neque comperit, ab *Hunnis et Alanis omni pernicie atrocioribus extremum periculum instare nomini Romano* (cf. Aur. Vict. epit. 47). Gothorum denique ne nomen quidem in Hegesippo scriptum exstat. — Quae si quis omnia [2]) cogitaverit, eum

---

1) Veluti apud Pacatum in eodem paneg. c. XI et XXXII (Gothus, Hunnus, Halanus), apud Ambrosium ipsum ep. 24, 8 *Valentinianus Hunnos atque Alanos appropinquantes Galliae per Alemanniae terras reflexit* — in Luc. X 10 *verborum caelestium nulli magis quam nos testes sumus, quos mundi finis invenit. Quanta enim proelia et quas opiniones accepimus proeliorum! Chunni in Alanos, Alani in Gothos, Gothi in Tayfalos et Sarmatas insurrexerunt.* — Copiosa denique Chunnorum descriptio invenitur in eiusdem libro de Tobia XI 39 (scripto a. 377).

2) Aliis quoque locis Hegesippus de sua aetate verba facit nec tamen ea, e quibus equidem quidquam pro illis temporis finibus supra constitutis aut contra percipere possim: Heg. I 35, 49 *Caesari, cuius ex nomine Caesarea in hoc tempus vocatur* (Isid. XV 1, 75 *Caesarea in Palaestina, quae nunc urbs est clarissima)*; ibidemque opera ab Herode ad Caesaream exstructa aetate sua etiamtum exsti-

puto non posse coniecturam non facere, hoc opus ante a. 375 scriptum esse.

2) Ut de auctoris aetate disputantes paulatim veritati propius accedere studuimus, ita nunc quaestione de eius vita et scriptis instituta non pigeat iterum tanquam tessellam tessellae adiungere. Ac plurimam materiam suppeditat operis praefatio, cuius hoc est initium: *Quattuor regnorum libros, quos scriptura conplexa est sacra, etiam ipse stilo persequutus usque ad captivitatem Iudaeorum murique excidium et Babylonis triumphos historiae in morem composui. Maccabaeorum quoque res gestas propheticus sermo paucis absolvit; reliquorum usque ad incendium templi et manubias Titi Caesaris relator egregius historico stilo Iosephus etc.* Haec verba ad totam controversiam dirimendam tam sunt gravia quam quae gravissima. Primum docemur, ab Hegesippo, priusquam hoc opus aggressus esset, quattuor biblia sacra in latinum translata esse. Sunt autem illi quattuor regnorum libri ei, quos nos Samuelis et Regum libros dicimus. Neque vero neglegenda est librorum inscriptio, contra quam Hieronymus in prolog. ad Galeat. haec disputat: *tertius sequitur Samuel, quem nos Regum primum et secundum dicimus, quartus Malachim i. e. Regum, qui tertio et quarto Regum volumine continetur. Meliusque multo est Malachim i. e. Regum quam Malachot i. e. Regnorum dicere. Non enim multarum gentium regna describit, sed unius Israelitici populi*[1]. Tum de horum librorum partitione Blanchinius (vindiciae.. Rom. 1740 p. CCXII et CCCXLV) adnotat: *secundum septuaginta quattuor libri, secundum Hebraeos et Hieronymum duo: prior Samuel, posterior Malachim.* Deinde verisimillimum est, id quod ex eis, quae supra disputavimus, sequatur necesse est, hos libros sacros ante Hieronymum latine versos esse, cuius inter-

---

tisse testatur. — V 24, 50 *quod etiam nunc in huiusmodi hominum genere reperias et nonnullis Aegyptiorum, ut curandis funeribus negotientur et officia humanitatis vendant mercaturae compendiis.* — IV 23, 31 *terebinthus . . . nunc tamen utrum adhuc maneat incertum nobis est.* De hoc proximo loco infra breviter disseremus.

1) Eadem verba Pseudo-Eucherius in comment. ad Regum libr. I repetit.

pretatio etsi antiquiores non continuo omnes oppressit, novos tamen interpretes removit. Tum attendere libet Hieronymum ab amicis admonitum primos omnium librorum sacrorum Regum interpretatum esse, mandavit autem haec volumina Galeato cum his verbis: *Lege ergo primum Samuel et Malachim meum; meum, inquam, meum. Quidquid enim crebrius vertendo et emendando sollicitius et didicimus et tenemus, nostrum est.* Inde enim coniectura augurer hoc maxime libros accuratiore eguisse interpretatione. Denique quamquam parum liquet, utrum Hegesippus Regum libros ad verbum verterit, an, quod ipse significare videtur, maiore libertate in rebus *historiae in morem* componendis versatus sit, unum apparet, non fuisse eum tironem in litteris. Tamen in praef. v. 10 et IV 5, 3 *non ingenii ope fretum* Iosephum vertendum a se susceptum esse dicit idemque IV 18, 5 sibi *incultius ingenium* esse queritur. Quae verba utrum verae modestiae an (ut Caesar p. 399 insimulat) fictae sint, iudex sit Hieronymus, qui in ep. 71 scribit, Iosephi opera *eadem venustate latine exprimere nec otii sui nec virium esse.* His eisdem verbis rescinduntur Gronovii et Mazochii iudicia, qui hanc Iosephi interpretationem opus adulescentis stilum exercentis esse volunt. Longe alia de suo opere dicit ipse Hegesippus: praef. 10 *unde nobis curae fuit non ingenii ope fretis sed fidei intentione in historiam Iudaeorum ultra scripturae seriem sacrae paulisper introrsum pergere.* — ib. 22 *ac ne quis vacuum fide et superfluum putet nos suscepisse negotium, ideo per principes ductum Hebraeorum genus omne consideremus, ut liquido clareat, utrum a femoribus Iudae nusquam generationis eius successio claudicaverit, an etc.* IV 18, 5 *nobis, quibus incultius ingenium est, cordi est patrum ex Aegypto egredientium usque in terram repromissionis repetere vestigia, ut si cui forte nostra in manus veniant, non nostra legat sed patrum relegat.* Quibus ex locis illud quoque, quod quidem sexcentis aliis locis (II 12, 17. V 2, 24 ss. V 9, 19 ss. V 44, 10) totiusque operis ratione comprobari potest, evidenter patet, auctorem Christianae doctrinae addictum fuisse. Quin ne id quidem nos nescire voluit, quas Christianorum Arii aliorumque factionibus tum inter se dissidentium partes secutus sit. Catholicum veraeque doctrinae studiosum se esse profite-

tur his sententiis: II 12, 25 *et vere quasi deus (Christus) sine exceptione personarum aut ulla mortis formidine loquutus* et V 44, 72 *Jesum Christum qui . . . secundum carnem genitus ex Maria* (cf. V 9, 27. 32, 4).

Igitur omnia quae adhuc collegimus — nonnulla autem consulto etiamnum reticemus — in unum dantes conspectum auctorem ex suis ipsius verbis describimus hominem sacris litteris deditum catholicaeque fidei addictum, qui postquam quattuor Regum libros latine reddidit, eodem religionis studio excitatus Josephi bellum Judaicum vertendum curavit idque post annum 367 et ante annum 375.

3) Ad postremum hanc scriptoris imaginem cum Ambrosio comparemus. Profecto Ulixe sollertior vel potius Procruste crudelior, qui haec amputando illa extendendo congruentia efficiet. Nam ut rursus a temporum ordine proficiscamur, Ambrosius a. 375, post quem illud opus scriptum esse negamus, vel ultimo superioris anni mensi (= VII id. Dec. 374) episcopus factus est. Quid ergo, inquiunt, nonne Gronovius (monob. p. 6) prudenter monet, *aetate adulescentiori aut in exordiis pontificatus hoc opus Ambrosium lusisse* (= Fabric. hist. lat. s. v. Heges.), nonne Mazochius (quae probat Caesar p. 398) Ambrosii iuvenilia fuisse proludia suo iure dixit et ea contra dictum iri tanquam praesentiens refutat his verbis: *quasi vero necesse sit, haec ab Ambrosio iam episcopo ordinato elucubrata fuisse?* Perge, quaeso, adde id quoque, hoc opus Ambrosium, antequam episcopus factus esset, composuisse ea ipsa de causa esse iudicandum, quod series eorum librorum, quos inde ab a. 375 scripsisset, tam diligenter definita sit tamque apte cohaereat, ut aliud opus interponi nullo modo possit. Facile patior haec afferri, quae non contra me, sed pro me afferri iam sum probaturus. Neque periculum est, ne ad Tillemontii verba: *nec facile a nobis quisquam extorquebit, ut a rebus seriis credamus Ambrosio tantum vacasse, quantum necesse erat scribendis non modo his quinque libris, sed etiam aliis quattuor, quos ex totidem Regum ab se compositos auctor affirmat* confugiam, quandoquidem illis iam Vallarsius respondit interrogando: *numquid vacare non potuit, dum fuit consularis Liguriae et Aemiliae.* Quod quamquam mihi persuasum est negandum et

refellendum esse, tamen verbis non amplius luctabor: parata sunt iam alia rerum documenta. Interpres ille, cuius effigiem ipsius verbis expressam proposuimus, studium omne in litteris divinis consumpsit, Ambrosius contra, ut legitur in vita Ambr. a Paulino scripta c. 5 *postquam edoctus liberalibus disciplinis ex urbe egressus est professusque in auditorio praefecturae praetorii ita splendide causas peroravit, ut eligeretur a viro illustri Probo, tunc praefecto praetorii, ad consilium tribuendum. Post haec consularitatis suscepit insignia, ut regeret Liguriam Aemiliamque provincias venitque Mediolanum* (ibique in Auxentii locum episcopus suffectus est). Ille semper Christianae doctrinae addictum fideique studiosum se praestat, hic creatus iam episcopus octavo demum die, priusquam consecratus est, baptismate est initiatus (vit. c. 7. 9, Rufin. hist. eccles. II 11, Nicol. pap. I epist. ad Photium). Ille omnium librorum sacrorum eruditissimus investigator et universarum populi Judaici rerum diligentissimus scriptor, hic etiamtum catechumenus, cui (vit. a Benedict. ex scriptis Ambrosii coll. c. 15) *ecclesiasticam doctrinam, cum ad episcopatum profectus fuit, defuisse nemo negabit.* An cuiquam credibile est, illi sedulo causidico per Probum vel per ipsius ambitionem licuisse subsecivis operis litteris sacris tanta studia impendere? nonne plane inauditum, litteras sacras a causidico baptisma etiamtum repudiante in Latinum verti? vel hac re concessa, quae nullo modo concedi potest, quibus putas laudibus Paulinum aliosque haec sancta Ambrosii studia praedicaturos [1]) fuisse! Nunc vero contrarium ipsum omnes testantur atque ipse Ambrosius: off. I 1, 4 *ego raptus de tribunalibus et administrationis infulis ad sacerdotium docere vos coepi, quod ipse non didici* — idemque de poenit. II 8, 67 *ecce ille non in ecclesiae nutritus sinu, non*

1) O postumum illum praedicatorem Gallandium (sive Mazochium) hariolantem: ‚Atque hinc etiam catechumeni Ambrosii pietas proditur, quod non profana ad proludendum argumenta delegerit, sed ea primum ex divinae scripturae libris Regum petierit, quam deinde historiam cum hac, quam habemus, ex Josepho transfusam continuarit.‘ — Ceterum si adulescens Josephum interpretatus est, cur saepius ingenii, nusquam aetatis excusatio occurrit?

edomitus a puero, sed raptus a tribunalibus, abductus de vanitatibus saeculi huius a praeconis voce ad psalmistae adsuefactus canticum[1]). — Sed vereor, ne adversarius undique iam circumventus denuo vincula effugiat, cum id quod ipse modo negavit, Ambrosium, postquam episcopus factus esset, belli Judaici interpretationem elaborasse contendit. Ac quamquam id ordo et Ambrosii operum ab editoribus enu-

---

1) Nisi omnia me fallunt, aliud quoque certius exstat argumentum ad demonstrandum Ambrosium ante annum 377 omnino nihil scriptum in hominum manus edidisse; quod quia ipse invenerim, ne continuo reiciatur, ab eis, quorum in iudicium haec cadunt, peto. Ambrosii enim operum series a Benedictinis temporis ordinem secutis ita constituta est, ut primum locum dederint libello de Paradiso, alterum ‚Cain et Abel', tertio loco posuerint libros ‚de Virginibus'. Atque Ambrosius ipse testatur in epist. 45 (script. a. 389) *ego iam dudum de eo (= paradiso) scripsi nondum veteranus sacerdos;* cui opusculo apte coniunctum est alterum de Cain et Abel. Quare iure in primis Ambrosii operibus numerantur; sed ipsa prima atque anno 375 scripta esse minus patet. Contra certus ac fixus est annus, quo illos libros de Virginibus scripserit, quoniam in huius operis libr. II 6, 39 dicit: *Haec ego vobis, sanctae virgines, nondum triennalis sacerdos munuscula paravi, licet usu indoctus, sed vestris edoctus moribus* (cf. Hieron. ep. XXII, 10). Cum igitur de anno, quo scripserit hos libros, controversia esse non possit, ego vehementer de ordine dubito, quem ita invertendum esse censeo, ut primum Ambrosii opus ponantur illi tres libri de Virginibus. An quisquam maiore unquam modestia ac timiditate stili rudimenta posuit, quam quae ex huius operis praefatione elucet: *iure nobis verendum est, quibus licet ingenium tenue, necessitas tamen maxima eloquia dei credita populi fenerare mentibus, ne vocis quoque nostrae poscatur usura, praesertim cum studium a nobis dominus, non profectum requirat. Unde scribendi aliquid sententia fuit. Maiore siquidem pudoris periculo auditur vox nostra quam legitur; liber enim non erubescit. Et quidem ingenio diffisus, sed divinae misericordiae provocatus exemplis sermonem meditari audeo; nam volente deo etiam asina locuta est. Quod mihi sub istius saeculi oneribus constituto adsistat angelus, ego quoque muta diu ora laxabo; potest enim solvere impedimenta imperitiae, qui in illa asina solvit naturae . . . . Cur autem desperandum, quod dominus loquatur in hominibus, qui est locutus in sentibus? . . . . Ac fortasse miretur aliquis, cur scribere audeo, qui loqui nequeo.*

cleatus et temporum a me ipso pro viribus stabilitus vetat, tamen illis, qui hastam a me amentatam contra me torquebunt, morem geram. Nam illud verae Christi doctrinae studium, quod in Josephi interprete fuisse ostendimus, cui magis est consentaneum quam Ambrosio, qui (vit. Paulin. 9) *postularit non se nisi a catholico episcopo baptizari et sollicite cavebat perfidiam Arianorum*, qui simulatque episcopus factus est, contra discipulos Apellis (qui Christum non deum in veritate, sed hominem in phantasia apparuisse dixit: Isid. VIII 5, 12) stilum acuit, qui per totam vitam Auxentii, in cuius locum successerat, omniumque haereticorum acerrimus fuit adversarius? Equidem haec non ignorans illud tamen nego; etenim si aliud est orthodoxum se profiteri Christianum, aliud fanatice pro ecclesia propugnare, alius est Hegesippus, alius Ambrosius. Ille praeterquam quod Christum II 12, 25 *vere deum* et V 44, 72 *secundum carnem genitum ex Maria* appellat, nusquam ne tectis quidem verbis contra Arianos pugnat, quippe cui summae curae sit, ut Judaeos erroris convincat. Quanto denique ille ab Ambrosii gravitate atque austeritate absit, hac una sententia, quam flagitio quodam exposito ipse addit, perspicue ostenditur: V 48, 9 *licet plerumque severius iudicemus, quam praecavere possimus, si ipsi in tali versemur necessitate.*

Sed totum hoc, qualecumque est, leve fortasse cuipiam videbitur, illud vero omnibus, credo, summi ponderis, quod neque apud Ambrosium ipsum neque apud alios scriptores eiusdem vel posterioris aetatis ne nomen quidem operis reliquum est. Imprimis apud Hieronymum [1]) et Rufinum, qui haud raro Ambrosii operum mentionem faciunt, aliquam memoriam illorum librorum exstare existimaveris; sed nusquam invenies. Tum etiamsi ex Augustini verbis de doctr. christ. II 11 *qui scripturas ex hebraea lingua in graecum verterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo; ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari* intellegi potest, cur illi quattuor Regnorum libri perierint, tamen non plane veri-

1) Quamquam in libello de vir. ill. c. 124. Ambrosium strictim tantum attingit.

simile videtur, aliquod Ambrosii, celeberrimi episcopi, opus ita neglectum esse, ut ne versus quidem supersit, (praesertim cum non antequam episcopus factus est, scripturae sacrae interpretem eum esse potuisse supra demonstratum sit), plane autem non credibile est, apud Ambrosium ipsum, qui legentes ad opera prius a se conscripta conferenda provocare consueverit, omnem huius operis memoriam intercidisse. Et intercidisse omnem eius memoriam testis sit vel invitus Mazochius, qui eodem sensu commotus talem locum, ubi aliquod vestigium illius Regum interpretationis compareret, diligentissime quaesivit. Atque — reperiunt enim qui quaerunt — indagavit in Ambrosii libro de Elia et ieiunio 3, 5 haec: *Sed de Eliae gestis plurima iam frequenti diversorum librorum sermone digessimus; et cavendum arbitror, ne in eadem recurramus, cum praesertim in opere suo ipse laudetur. Imitemur ergo illum etc.* Detorquens enim simplicia illa verba *cum in opere suo ipse laudetur* ita concludit: *Cum nullus alius sancti doctoris liber assignari possit, qui sive ‚de Elia' inscribatur, sive de eo dedita opera agat: nihil aliud restat, nisi ut eis verbis Regnorum historia, quam ante excidium scripserat, indicetur.* Haec perabsurda coniectura [1]) optimum documentum esse videbatur, ne litterulam quidem de hac interpretatione relictam esse. Nam qui hanc spinosam opinionem in medium proferre non dubitavit, quanta putas cupiditate illum vera indicia amplexurum fuisse! — Huius autem Josephi interpretationis a veteribus, ut infra explicabimus, saepe laudatae ne Mazochius quidem summa ingenii acie ullum vestigium in Ambrosii libris exploravit. Attamen cum aliis locis bellum Judaicum commemorandi occasio data fuit, tum in Ps. CVIII 21, 14, ubi legimus: *si illam Hierusalem spectes, quae in caelo est, non istam, quae a populo Judaeorum frequentabatur in terris, quae propter incolarum perfidiam a Romano exercitu triumphata iniecto flagravit incendio.* Atque etiam propius rem attingunt, quae scripta sunt in expositione super septem visiones libri apoca-

---

1) Scilicet tam absurda est, ut operae pretium non videatur rectam illorum male tractatorum verborum interpretationem apponere aut monere, de Elia perpauca tantum capita (Reg. I 17 — II 1) esse. — A Mazochio defecit etiam Caesar (ed. p. 398).

lypsis [1]) (Migne p. l. XVII p. 991): *Quam magnus fuerit ille aestus, quo Romani Judaeos afflixerunt, qui vult scire, Josephum legat et inveniet, nullam gentem in omnibus regnis terrarum atrocius periisse.* — Atqui si usquam ex silentio quidquam argumentari licet, hic licere arbitror. Ergo tantum abest, ut ipsis rebus Ambrosium auctorem esse significetur, ut nullo modo probari possit, fieri potuisse, ut Josephi sit interpres.

III. Quid ex dicendi genere colligatur.

Quoniam pro vero affirmatur in sua cuiusque oratione plurimam esse effigiem, non ita difficile videtur, ex eo, quod in hoc opere cognoscimus, dicendi genere comparato cum Ambrosii diiudicare, num idem sit auctor necne. Sed quid inconstantius ac fallacius iudicio hominum studio et cupiditate corruptorum! Qua quisque enim opinione praeiudicata ductus scripta legit, ei obnoxius in iudicando sententiam dicit. Veluti Tillemontius (hist. eccl. I 541) censet: *dicendi characterem* (*Hegesippi*) *placidum nimis et lene fluentem esse, quam ut Ambrosio tribui possit* — contra Mazochius: *interpretationis Josephi stilus ubique fervidos calentis aetatis spiritus anhelat et ita quidem, ut quantus aliquando Ambrosius, ubi maturuisset, in dicendi facultate exstiturus esset, prae se aperte ferat.* Sed missa hac verborum concertatione ad res ipsas transeamus:

1) De singulis quibusdam verbis, quae cum apud ceteros scriptores rarissime vel omnino nusquam inveniantur, et apud Hegesippum et apud Ambrosium exstant, disputavit iam Gronovius (monob. c. I). Enumerat autem haec: praetendere = excubare [etiam Frontin. Tert. Amm. Claudian. etc. cf. Rönsch Itala et Vulgata ² p. 376]; sedulitas = Höflichkeit, Dienstbeflissenheit [ib. p. 331; at quid discriminis inter exempla ibi allata [2]) et, ut uno exemplo utar,

1) Genuinum an adulterinum opus sit, ad hanc quaestionem non plurimum interest, cum ille qui Ambrosii stilum affectat, utique eius operum peritus fuisse putandus sit.

2) Rönschius Gronovium mendose compilat: p. 331 v. 6 scribendum pro d. Offic. I 20 excid. Hier. — Heg. I 20, 19; p. 377 v. 1. d. Fid. I 29 corrigendum: Heg. I 29, 28.

Cic. Caec. 5 *amicus mulieris non necessitudine aliqua, sed ficto officio simulataque sedulitate coniunctus?*]; veniabilis [cf. Lex. Sidon. Prud.]; crapulatus [Rö. p. 155]; forensis = qui foris est [ib. p. 338 s. n. 7]; inaequalis = aegrotus [ib. p. 339]; placidare [ib. p. 170]; ablevare [Paucker spicileg. Mitav. 1875 p. 1. Heg. V 2, 80 *ablevare miserias* cod. Cass., *allevare* vulg. cf. Heg. II 9, 47 *dolorem allevent* I 44, 110 *levabam dolorem*]. — Itaque plurima eorum verborum, quae Gronovius ut Ambrosio et Hegesippo solis communia attulit, hodie apud alios quoque deprehensa habemus; ac perpauca illa, quae adhuc restant, olim in lexicis emendatis et perfectis aliorum quoque scriptorum testimoniis confirmatum iri mihi persuasum est. Nam inde quod adhuc nusquam nisi in eorum libris inventa sunt, minime sequitur, ea nusquam omnino inveniri. Etenim si verum quaerimus, tota haec quaestio de singulis verbis ipsa parum firmis posita fundamentis prorsus incerta fit eo, quod usque ad hunc diem deest thesaurus linguae latinae, qui verba omnia omnium scriptorum (etiam posteriorum atque ecclesiasticorum) contineat. Qui dum hominum doctorum labore ac sudore comparetur, tanquam in rate in inmenso mari vehitur disputatio. Quare non sum tam fidenti animo, ut Vallarsio adstipuler dicenti: *in duos cadere potuisse nemo qui haec (Gronovii scrinia) paullum accurate perpenderit, sibi unquam facile persuaserit;* immo cum Benedictinis [1]) facere malo iudicantibus, *comparationem istiusmodi fallacem esse, cum ex auctoribus diversissimis loquendi formulas inter se affines hinc inde resecare cuivis promptum sit.* — Neque evellitur ille scrupulus Rönschii et Pauckeri operibus diligentissime elucubratis, cum propterea quod in illis rebus ipsos nimis securos Gronovium sequi patet, tum quod omnes Ambrosii aetati aequales scriptores a se perquisitos esse nequaquam dicunt. Hanc autem quaestionem a Rönschio nusquam dilucidis verbis tractatam Pauckerus, qui Hegesippum accurate perscrutatus est, breviter ac leviter attingit his verbis (subrelict. add. lex. lat. Dorp. 1872 pars II p. 17* s.). ‚Historiae belli Judaici — sunt qui

---

1) *quibus praesertim diligentissimis editoribus,* ut ipse Mazochius confitetur, *Ambrosii non modo doctrinam, sed et elocutionis colorem et lineamenta omnia perspectissima esse necesse esset.*

auctorem arbitrentur esse Ambrosium. Cui opinioni haud scio an aliquid accedat probabilitatis etiam ab usu vocabulorum. Compluribus nimirum historiae illius scriptor utitur vocibus locutionibusque, quae aut 1) Ambrosio peculiares esse videntur ut obiectio [Heg. II 9, 41 = Jos. II 16, 4 ἐξονειδισμός. cf. Krebs. Allg. [5] p. 779]; placidare [Heg. IV 27, 50]; redoperire [Heg. V 40, 40. Rö. p. 206]; refragium [Heg. V 27, 4 lectio vulg., sed cod. Cass. *refractio* cf. IV 26, 42]; repulsor [Heg. I 40, 17]; repulsorium [Heg. III 5, 25] — vel certe eidem perquam familiares, ut perfunctorius et perfunctorie, feriari ab aliqua re, contuitu c. gen. — aut 2) quas praeter Ambrosium unus aliquis vel pauci inter postt. potissimum inveniuntur usurpasse etc.'

Sed ut totam hanc quaestionem utpote in dubitatione infinita versantem plenamque errorum integram relinquam, fateor imparem me esse his singulis copiose respondere; neque pudet confiteri id me facere non posse, quod sese posse, quis est qui profiteatur? De universa Hegesippi oratione haec disseruisse satis habeo: quamquam optimorum scriptorum lectione exercitatus atque limatus tamen non modo non timide illa exemplaria sectatur, sed sine ulla dubitatione rariora verba usurpat atque alia ipse novat. Illius generis sunt haec: allevamentum (Heg. II 1, 45. Cic. Sull. 23, 66), biduanus (V 24, 26 Liv. 27, 24, 3 Drak.), coalitu (IV 4, 3 Arnob. 4, 33), exagitatio (V 53, 47. Tac.? Pauck. add. lex. 1872 p. 26. 19* spicil. p. 52), inconsolabilis (II 9, 213 Ov. M. 5, 426), incursatio (V 51, 4 Non. I 213), obsidialis (V 20, 26 *obsidialium instrumenta machinarum*, Itiner. Alex. 47 (Mai) *obsidialibus machinamentis* cod. Ambros., falso Volkm. c. 19 *obsidionalibus*) etc. — Prorsus desiderantur adhuc in lexicis haec: inpinguis (III 26, 58 *fons inpinguis arva opimat*), inexcruciatus (V 22, 1), inexitiabilis (IV 14, 6), inexpressus (V 45, 13; cod. Cass. falso *impressus*), inexustus (V 42, 13), irreconsiliabilis (I 40, 94), cinerulentus (V 53, 129), stipamen (V 3, 10 *factionum stipamine circumveniri*) [1]).

1) Codicibus vel editoribus diffidens in numerum vocabulorum, quae dicimus ἅπαξ εἰρημένα, referre non audeo haec: devotatio (V 2, 59; lect. vulg. devotio, uti I 45, 55; II 1, 70; II 12, 6;

Quoniam vero ipse Ambrosius de veterum scriptorum latinitate parum sollicitus tanquam orator popularis suae aetatis sermoni indulget, quid mirum si utrique — utrumque autem eadem aetate [1]) fuisse iam satis constat — nonnulla verba usitata sunt, quae in ceteris litteris raro occurrunt vel desunt; praesertim cum fons significari possit, unde illae similitudines deriventur. Nimirum utriusque oratio tincta est scripturae sacrae dictionibus. Veluti Rönschius vocis incoinquinatus (p. 225) tantum ex libris sacris profert exempla; sed eandem legimus apud Heg. I 31, 17 et, si Pauckeri verbis fidem habemus (subrel. ps. II p. 9*), etiam apud Ambrosium. Crapulatus autem cum Vulgata (Rö. p. 155) eisdem est commune. Itemque (Rö. p. 377): propinquare = prope esse I Reg. 21, 2 Ambros. d. Nabuthe c. 2; adde Heg. V 21, 64 *iam non propinquantibus silvis, quia succisa erant omnia suburbana nemora silvarum;* fundibalum (Rö. p. 38) I Macc. 6, 51 Jud. 9, 7 . . . Ambr. ep. 7; adde Heg. V 44, 63.

2) Qua re admonitus de sententiis et versibus, quae et Ambrosius et Hegesippus ex libris sacris deprompsit, pauca disseram, quia illis notam quandam iudicandi, num idem auctor sit, inesse dicunt. Oritur autem hic quaestio, quam interpretationem secuti sint, atque id potissimum statui opus est, num libris sacris ab Hieronymo conversis Hegesippum usum esse demonstrari possit. In Ambrosio nempe nullum eius vestigium neque invenimus neque quaerimus, cum huius opera maximam partem prius scripta

---

V 41, 53); praesuasio (V 22, 89; at II 6, 2 persuasio); recongesta (I 10, 143); adopperiri (III 18, 29). De triumphabilis (III 24, 68; — V 16, 11. 19, 30) et missibilis (III, 9, 15. IV 15, 7. II 18, 11. IV 1, 27. IV 3, 13. V 1, 14. 10, 12. 28, 15) cf. Paucker subrelict. Dorp. 1872 p. 22.

1) Rationes de Hegesippi aetate supra ductae confirmantur his ex lingua sumptis calculis: apices = epistula, vox a Symmacho, ut lexicographis videtur, primum usurpata, postea autem usitatissima, invenitur iam apud Heg. I 25, 17; 44, 175. arcessitor = accusator frequentatur inde ab Ammiano (XXIX 1, 44): Heg. I 40, 175. V 22, 81; deinde instaurator (Amm. XXVII 3, 7. Heg. V 53, 16), purgatorius (Sym. ep. VI 65. Heg. V 41, 63), competenter (Heg. I 46, 13), interminatio (Heg. V 44, 41), circumventiones (Heg. V 43, 21), intimare etc.

sint, quam Hieronymus libros sacros vertendos suscepit [1]). Videlicet si Hegesippi aetatem recte computavimus, necessario sequitur, ipsi quoque illam fuisse incognitam. Sed quia in hac sententia, etiamsi vel adversariorum adsensu adprobata est, tamen non uti in concessa niti licet, invicem ei hinc novum adiumentum suggeremus. Inveniuntur autem apud Hegesippum triginta fere loci, ubi litterae sacrae exscribuntur. Quos si quis diligenter comparaverit, satis magna deprehendet discrimina, siquidem magna discrimina inter interpretationes eadem cum cura ad verbum factas esse possunt. Sed ne multis verbis rem per se implicatam et tortuosam etiam magis obscurem, selectis exemplis quam brevissime explanabo:

psalter. Roman. [2])	Hegesipp.	psalt. Gallic.
ps. 78, 1 Deus venerunt gentes in hereditatem tuam: coinquinaverunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.	I 16, 19 Deus venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum = V 2, 97.	Deus venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt etc. (= psalt. Rom.)
Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus caeli: carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.	Posuerunt mortalia [3]) servorum tuorum escam volatilibus caeli.	Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus caeli etc.
Effuderunt sanguinem eorum sicut aquam in circuitu Ierusalem: et non erat qui sepeliret.	Effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu etc.	Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu etc.

1) Initium autem ex hebraico vertendi ille paulo ante annum 388 fecit.

2) psalterium Romanum est interpretatio ab Hieronymo emendata a. 383, psalterium Gallicanum ab eodem post a. 384.

3) A Webero lectio morticina contra cod. Cass. recepta est;

Eadem fere etiam in ceteris locis comparet discrepantia; quare comprobo Caesaris hac de re iudicium (p. 399): *res ita se habere videtur, ut vel e priore interpretatione latina sua sumpserit vel graeca verba ipse in latinam linguam transtulerit, Hieronymianae contra versionis certa vestigia nusquam reperiantur.* Itaque neque Ambrosius neque Hegesippus cum Hieronymo consentiunt; consentiuntne fortasse ipsi inter se?

Dolendum est, quod huius rei haud multum materiae suppetit; nam, ut rerum natura est, alios locos affert Ambrosius, alios Hegesippus. Quare studiose mihi quaerenti hos tantum apud utrumque simul ut investigarem contigit, quos, ne diutius hac in quaestione morer, statim suppono:

Ambrosius:	Hegesippus:	Hieronymus:
[Hiob. III 3]: in Luc. 4, 40 pereat dies illa, in qua natus sum.	III 17, 17 pereat dies illa, in qua natus sum.	pereat dies, in qua natus sum (*al.* dies ille in quo).
[Matth. XXII 13]: in Luc. 7, 204 tolletur ligatis pedibus et manibus et mittetur in tenebras exteriores. Illic erit fletus et stridor dentium.	III 17, 120 tollite eum in tenebras exteriores. ibi erit fletus et stridor dentium.	ligatis manibus et pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores. ibi erit fletus et st. d.
[Ioh. II 19]: in Ps. 47, 16 solvite templum hoc et in triduo resuscitabo illud.	V 2, 115 solvite hoc templum et in triduo resuscitabo illud (*vulg.* templum hoc).	solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud [1].

---

recte Caesar (p. 399 n. 12) mortalia restituere vult. Vetus de hac varia lectione controversia, ut Augustinus docet in enarratione huius ps. *Melius sane interpretati sunt, qui morticina posuerunt, quam sicut quidam mortalia.* cf. Blanchin. vind. p. 139.

1) Rufin. ben. patriarch. I 2 *solvite templum hoc et ego in tribus diebus suscitabo illud.*

Ambrosius:	Hegesippus:	Hieronymus:
[Eph. II 14]: in Luc. 2, 26 ipse factus est pax nostra, qui fecit utraque unum. (al. ib. 7, 141).	V 2, 63 pax dei Christus est, qui fecit utraque unum.	ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.

Iam vero finem faciamus his spinosis quaestionibus, quas nisi provocatus non proposuissem; quarum rerum explicatione etsi largior contra Ambrosium non multum profici, tamen eas ab adversariis ad suam utilitatem conferri noluimus. Itaque relictis his angustiis nunc tamquam respirantes latiorem campum ingrediamur, in quo liberior exultet oratio.

3) Quicumque in Hegesippo legendo aliquid temporis consumpserit, animadvertet ab illo tanquam exemplar ad imitandum adhiberi Sallustium[1]). Quod quamquam non fugit, tamen praeter Wassium adhuc quemquam satis perspexisse atque ad crisin convertisse negaverim. Quamobrem ipse — Wassii autem editio Sallustii (Cantabrig. 1710) his demum mensibus in manus meas pervenit — ante tres annos imitationes Sallustianas ex Hegesippo conquirendas suscepi earumque magnam copiam in Act. sem. Erl. I 350—356 collegi. Atque cum editorum auctoritate motus Ambrosium operis auctorem esse credidissem, festinanter illius libros evolvi, ut, si dis placet, omnem Sallustium in Ambrosio expressum reperirem. Nunquam profecto magis me fefellit opinio; cum Hegesippi omni fere in pagina Sallustianam lectionem non solum odoratus essem, sed manibus, ut ita dicam, deprehendere potuissem, Ambrosii complura capita, quin etiam complures libros legeram, in Sallustii vestigia nondum incurreram. Quid multa? mox mihi persuaseram, Ambrosium non in Sallustii asseclis numerandum atque illo nomine ‚Sallusti simia‘, quo Wassius saepius Hegesippum appellat, adeo indignum esse, ut id ipsum dubium mihi videretur, num illius opera unquam ab Ambrosio lecta essent. At Gronovius Sallustianas locutiones in Ambrosio investigavit. Duas non amplius repetitas sane saepius ille (monob. c. XXI) profert:

1) Ipso hoc Sallustii imitandi studio, quippe quod scriptores exeuntis IV saeculi adamaverint, computatio aetatis nostra egregie probatur.

Sall. Iug. 79, 3 *loca aequalia et nuda gignentium*. Heg. IV 16, 25 *nudus gignentium* = V 25, 22. Ambr. hex. I 8, 28 *nuda gignentium* — de Cain et Abel II 8, 26 *locus nudus gignentium* — in ps. 108 *nuda gignentium* = in Luc. VIII. [1]) — Sall. Iug. 48, 3 *quae humi arido atque harenoso gignuntur* [cod. Paris. humo *supersc.* i]. Heg. IV 16, 41 *humi* [2]) *arido corruptior aer*. Ambr. de virgin. III *si non aspero montium, non humi arido expers quietis exstat* — de fide resurr. *multa gignentia humo arido arenosoque nascuntur*.

Neque piget haec a Gronovio collecta exempla augere aliquot aliis:

Sallust.	Ambros.	Hegesipp.
hist. I 8 invia paludibus.	hex. VI 2, 7 invia paludibus.	
Iug. 85, 10 homo veteris prosapiae.	hex. III 7, 30 prosapiae veteris clarus insignibus.	I 41, 31 veteris prosapiae infulis.
Iug. 14, 4 prius oneri quam usui esse.	hex. VI 5 31 oneri magis esset quam usui.	II 15, 63 oneri magis quam usui erat.

Sed adversa fronte inter se pugnantia loqui videor atque his exemplis redarguere, quod ipse modo dixi, non satis me comprobatum habere Ambrosium Sallustii opera vel primoribus, ut aiunt, labris attigisse. Rem ita expediam: Concedo quidem primo obtutu verisimile videri, Ambrosium eorum

1) Quibus exemplis addo epist. 18, 26 *Anni ipsius aetas prima, quae nos usu parili coloravit nutu gignentium, sed in processu lapsuris floribus vernat, postremis adulescit fructibus*. Quamquam enim totum hunc locum manifesto corruptum emendandum minime in me recipio, tamen pro *nutu gignentium* vel omnibus invitis codicibus cum editione Romana *nuda gignentium* scribendum esse pro explorato habeo.

2) Satis insulse Gronovius illo Hegesippi loco sui codicis lectionem *humo arido* defendit; iure eum non secutus est Weberus. Nam id quod ipsum difficile ad credendum est, ab Hegesippo verbum humus pro masculino usurpatum esse, graviter refellitur alio eiusdem loco V 41, 41 *vidimus mortua terrarum nascentia*, *humum aridam*. Immo illud Ambrosii *humo arido arenosoque* emendandum est itemque Beda de loc. sanct. c. 11 (ed. Giles Lond. 1843 t. IV) *humi aridae corruptior aer*. (Alia est causa apud Amm. XXVI 10, 17 *arida humo* et Solin. p. 197, 20 ed. Momms. *humo arida*.)

fuisse peritum (neque haec volumina unquam in eius manibus fuisse plane negaverim); necesse autem esse id statuatur infitias eo, nedum multum eum in illo versatum esse mihi persuaderi possit. Nam quid obstat, quin haec et alia id genus scribenti ei memori doctrinae puero olim a grammatista inculcatae vel invito excidisse putemus? Et inveniuntur omnia, quae attulimus, a veteribus grammaticis selecta exempla. Nonnulla porro Ambrosius ex eis scriptis, quae compilavit, sumpsisse putandus est veluti in hexaemero, graecorum latinorumque auctorum compilatione (Hieron. ep. 65 et 90. — hex. V 10, 29 et 30 pendent magna parte ex Sallustio cf. fragm. hist. III 41 sq.). Sed cum illud opinione tantum augurer, pro certo documento, quam Sallustii gnarus non fuerit, utor hoc loco: Ambr. de fuga saec. III 16 *talis enim, inquit, nobis decebat* (Hebr. 7). *Recta elocutio; si quidem et apud eos, qui v e r b o r u m e t e l o c u t i o n u m d e l e c t u m h a b u e r u n t, huiusmodi invenitur dicente a l i q u o: locum editiorem quam victoribus decebat* [Sall. h. I 98]. *Quod ideo non praeterii, ut sciamus, quia Apostolus*[1]) *naturalibus magis quam vulgatis aut secundum artem utitur verbis*[2]). Nonne id redolet doctrinam puerilem? num removere a te potes suspicionem, Sallustium ei nisi ex grammaticorum disciplina et ex elocutionum exemplis non fuisse notum?

Utut autem ea sunt, unum certissimum, illud Sallustium imitandi studium, quod in Hegesippi libris dominetur, neutiquam cum Ambrosii comparari posse. Ac ne quis id ex ipsis rebus, quas tractet Ambrosius, consequi opponat, hoc quoque obstruam perfugium monendo, Ambrosium in eis ipsis operibus, quae quin Hegesippus Sallustianis pigmentis luculentissimis exornaturus fuerit, dubium esse non potest, veluti in panegyricis vel potius laudationibus funebribus in Valentinianum et Theodosium, ne unam quidem phrasin ex Sallustio

---

1) O sapientiam oscitantem vel plane dormitantem. An non dormitat, qui apostolum latine facit loquentem? Cum Sabatiero credo conspiravit, qui novum testamentum a Paulo apostolo in latinum versum esse dicit.

2) Eadem verba referunt S e r v i u s ad Verg. Aen. VIII 127 et A r u s i a n u s in exemplis elocutionum (Lind. p. 223), qui addit vocabulum *capit*. — Ambrosii locum nesciunt editores.

decerpsisse. Denique cum Hegesippus in Sallustio imitando plurimus sit, Ambrosius est rarissimus.

Quae cum ita sint, nisi Ambrosius pertinacissimos haberet patronos, eorum sententia iam excussa esset. Sed cum non desint, qui dicendi genus parvi aestiment verbisque neglectis res quaerant, eis ut satisfaciamus, paucis verbis exponamus:

IV. Quid ex rerum argumento efficiatur.

Quodsi Hegesippus totus versatur in Iosepho, ultro quaestio animum subit, num Ambrosius eadem scientia illum comprehenderit. Cui quid respondendum sit, supra iam declaravimus: bellum Iudaicum uno vel duobus locis strictim tetigit, accuratioris vero scientiae nullum dedit specimen. Deinde cum Hegesippus haud raro quaedam ex Iosephi antiquitatibus sibi sumpserit, novit certe Ambrosius hoc quoque opus, quod semel his apertis verbis significat: Ambr. ep. 45, 2 *Sententias autem de eo (paradiso) diversas esse plurimorum comperi. Nam Iosephus utpote historiographus locum dicit refertum arboribus virgultisque plurimis, irrigari etiam flumine, quod dividatur in quattuor fluvios* (= antiq. I 1, 3). Neque invitus Ambrosii editoribus assentior, eundem altero loco designari: epist. 19, 12 (= Ios. antiq. V 8, 10), quod etsi non ex Ambrosii ambiguis verbis *ut quidam existimavit*, tamen ex ipsa re satis intellegi potest. Sed ex hac ipsa ratione, qua Iosephus citatur, quid est evidentius, quam hanc notitiam levem ac nuperam admodum fuisse?

Atque ne callide tergiversantes denuo effugere conentur, de eis tantum rebus dicam, quas et Ambrosius et Hegesippus enarrant, (quae quod perpaucae sint, contra ipsos dici posse non intellegunt). Neque hic reticere queo locum, quem quamvis apte adversarii in suas partes vocare possint, tamen nusquam inveni allatum. Dico autem hunc:

Heges. III 2, 60.	Ambr. contra Auxent. s. 13.
proxima nocte salutatis fratribus et celebrata oratione proficisci solus coepit. ubi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere et adorans	Nocte muros egredi coepit, et videns sibi in porta Christum occurrere urbemque ingredi, ait: domine, quo vadis? Respondit Christus: ve-

Heges. III 2, 62.	Ambr. contra Auxent. s. 13.
eum dixit: domine, quo venis? dicit ei Christus: iterum venio crucifigi. intellexit Petrus de sua dictum passione, quod in eo Christus passurus videretur qui patitur in singulis, non utique corporis dolore sed quadam misericordiae conpassione aut gloriae celebritate. et conversus in urbem redit captusque a persecutoribus, cruci adiudicatus poposcit ut inversis vestigiis cruci affigeretur, quod indignus esset qui simili modo crucifigeretur, ut passus est dei filius.	nio iterum crucifigi. intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsnm; Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione susceptae mortis exuerat: quod enim mortuus est.... Intellexit ergo Petrus, quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit; interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus per crucem suam honorificavit dominum Iesum.

Negari enim non potest, per totam utriusque narrationem fusam esse similitudinem quandam, quam ne id quidem tollit, etiamsi aliquantum obficit, quod Ambrosius Petrum inversis vestigiis cruci affixum esse non memorat. Nam id neque novum (Euseb. hist. eccl. III 1), neque rarum (Hieron. vir. ill. 1. Prudent perist. hymn. 12), neque Ambrosio ipsi fuit incognitum (in ps. CVIII 21, 21 *Petrus inversis Christum honoraret vestigiis*, de interp. Iob. I 2: *Petrus inverso suspendi poposcit vestigio*). Verum tamen cum Ambrosii editoribus, qui illic adnotant: *Ceterum huius Petro factae Christi apparitionis praeter Hegesippum et Ambrosium et Gregorium (in psal. IV) vix alium ex antiquis reperias qui meminerit* non nimis confidere oportet, tum concesso hunc apologum ab illis solum memoriae traditum esse, ex eodem fonte eum ab utroque haustum esse vel illo tempore in omnium sermonibus ac mentibus haesisse non video, cur negandum sit.

Iam vero, ne amplius eos, qui contra dicunt, fallacibus opinionibus ludibrio habeamus, aliquot locos proferamus in medium, quos ad unum eundemque auctorem revocari posse nequaquam credi potest. Sunt autem minus gravibus neglectis hi: Ambros. in Luc. III 41: *tradiderunt nobis, quia Idumaei latrones Ascalonem urbem Palaestinae ingressi de fano Apollinis, quod vicinum muris erat, Antipatrum Herodis*

cuiusdam hieroduli filium inter alios abduxere captivum, quem pater redimere propter paupertatem nequivit. Is igitur imbutus disciplinis et mysteriis Iudaeorum Hyrcano Iudaeae regi amicitia copulatur .... filius eius Herodes postea sub Antonio senatusconsulto Iudaeis regnare praeceptus est. Cuius Herodes filius et alii tetrarchae. Quod ideo ex Graecorum historiis putavimus transferendum, ut clareat etc. Ac primum offendit, quod illae Graecorum historiae, quas consulit, Eusebii historia ecclesiastica est, cuius in primi libri capite VII ea inveniuntur. Iosephi interpreti credo alius fons propior erat. Quid Iosephus de Antipatro? Bell. Iud. I 6, 2 γένος δ᾽ ἦν Ἰδουμαῖος, προγόνων τε ἕνεκα καὶ πλούτου καὶ τῆς ἄλλης ἰσχύος πρωτεύων τοῦ ἔθνους, quae Hegesippus ita reddit latine, ut consulto contra Eusebii sententiam pugnare videatur: I 14, 2 *Antipater erat Idumaeus genus, maioribus apud suos clarus, non tenuis pecuniae et ideo praevalidae potentiae etc.*

Cui res ipsa non persuaserit, verbis nunquam persuadebo. Addo igitur continuo locum alterum: Hegesippus, quem ab eis, qui Palaestinae situm descripserunt, diligentissime compositum et magno in honore habitum esse infra videbimus, Iordanis fluminis ortum copiose explicat his gravibus incipiens verbis: III 26, 12 *res exigere videtur, ut Iordanis ortum quem alibi promisimus aperiamus. nam superioris aevi dubio, utrum de lacu, cui Genesar nomen, Iordanes exoreretur, Philippus tetrarches Trachonitidis regionis falsam opinionem redarguit erroremque absolvit mittens paleas in Phialam, quas in Panio fluvius ebullivit etc.* Itaque tanta cum pompa hanc doctrinam (scilicet Iosepho b. Iud. III 10, 7 subductam) profitetur, ut id unquam memoriam eius rursus fugisse minime credibile videatur. Sed quid Ambrosius? pudet profecto vitium illius viri divini et omni laude cumulati referre, quod legitur in interpell. Iob. II 4, 14 *Iordanis nomen descensionem significat .. hic fluvius exit de Aegypto et dividit terram repromissionis.* Ac si nondum praeclusae sint voces excusationem quaerentium, si Ambrosius semel in scribendo lapsus nomina Nili et Iordanis confuderit, non continuo eum in chorographia rudem existimandum esse, verba, quae sequuntur, legant: *Ergo qui turbatur, si boni* (al. *bene sibi*) *consulit, de Aegypto exit.* Idemque chorographiae

monstrum comparet in Ambrosii libro de Abrah. II 6, 34 eodemque modo allegoria, quam adamat, conditum [1]).

Propositis igitur rationibus, quas ex operis inscriptione et codicibus, ex dicendi genere et rerum argumento exquirere licuit, ad postremum circumspiciamus, quae firmamenta extrinsecus adsumpta sententiae nostrae suggeri possint, examinantes:

V. Quid veterum testimoniis confirmetur.

Quoniam in eis, quae disseruimus, recentioris aetatis criticos in iudicium vocavimus eorumque sententias sive approbantes sive condemnantes percensuimus, nunc ab his, quippe quibus haud firmiora adiumenta quam ipsis nobis praesto fuerint, alios maioris auctoritatis iudices appellabimus. Atque est, quod hoc Hegesippi opus iam veterum oculos in se convertisse arbitremur. An verisimile videtur, de opere tam antiquis codicibus tradito nihil a veteribus auctoribus tradi aut, quod opus tam saepe descriptum sit, de eo nunquam scriptum esse? Immo iam Cassiodorus (instit. div. litt. 17. edit. Garet. II p. 520) historicorum, quos monachi legere debeant, primum nominat Iosephum his usus verbis: *Iosephus paene secundus Livius in libris antiquitatum Iudaicarum late diffusus, quem pater Hieronymus scribens ad Lucinum Beticum propter magnitudinem prolixi operis a se perhibet non potuisse transferri. Hunc tamen ab amicis nostris, quoniam est sub-*

1) Plurimum interest inter hoc Ambrosii mendum et illum Hegesippi errorem, quem iam Gronovius (monob. p. 167) aperuit. In promptu enim est, in Heg. III 3, 19 *Peraea regio trans Euphraten sita; cui ab eo inditum nomen, quod Euphrates ad eam partem pergentibus transmitteretur*, bis falso pro *Iordane* scriptum esse *Euphraten*. Neque autem minus manifestum est, in hoc mendum Hegesippum (ne librariorum peccata praetendam) non inscientia, sed neglegentia quadam ductum incidisse. Primum enim illo Iosephi loco quem vertit (II 20, 4) recte legimus: ἐκ τῆς περὶ Ἰορδάνην Περαίας. Tum ab Hegesippo ipso Peraeae situs emendate describitur: IV 16, 20 *ultra Iordanem siti Peraeae regionis populi* et V 40, 2 *regionis Peraeae, quae trans Iordanen iacet.* — Contra eodem modo lapsus est in vertendo Ios. b. Iud. I 24, 5 πέραν Ἰορδάνου = Heg. I 40, 56 *ultra Euphraten.*

tilis nimis et multiplex, magno labore in libris XXII converti fecimus in Latinum. Qui etiam et alios septem libros captivitatis Iudaicae mirabili nitore conscripsit, quorum translationem alii Hieronymo alii Ambrosio alii deputant Rufino; quae dum talibus adscribitur, omnino dictionis eximiae merita declarantur [1]). Haec verba omnibus qui de Hegesippo scripserunt nota videntur atque in hanc interpretationem cadere plerisque persuasum est, quamquam iidem ea iuvenilia proludia esse non verentur dicere. Alia autem testimonia de his libris, quae illi nesciverint an neglexerint — utrumque autem vituperatione dignum videtur — incertum mihi est, conquisivi ipse haec:

Illa quidem, ad quam iam Cassiodorus satis perspicue digitum intendit, Hieronymi epistula 71 (a Vallarsio eis adnumerata, quas inter annos 386 et 400 ex Bethlehemitano monasterio scriptas esse statuit), eos vix fallere potuit: *Porro Iosephi libros et sanctorum Papiae et Polycarpi volumina falsus ad te rumor pertulit a me esse translata: quia nec otii mei nec virium est, tantas res eadem in alteram linguam exprimere venustate.* Hinc etsi temerarii arrogantisque est immoderatas coniecturas capere, tamen rumores quosdam de nescio qua Iosephi interpretatione illis annis sparsos esse iuvat monere. Itemque, quod etiam atque etiam premendum

---

1) Verius, opinor, sic concluditur: quia operi eximiae dictionis merita sunt, ea ipsa de causa talibus adscribitur. Sed Ambrosium non esse auctorem satis iam demonstrasse mihi videor; Hieronymus ipse negat, quod quidem innumerabilibus comprobari potest documentis, veluti varia interpretatione illius interpolati loci de Iesu Christo Ios. ant. XVIII 3, 3. Hieron. de vir. ill. 13. Heges. II 12, 11 sq. Rufinus denique omnium paene librorum ex Graeco versorum, quorum auctor incertus est, interpres habetur. Quare prorsus assentior Vallarsio, qui omnes illas interpretationes, quae non in Gennadii (de vir. ill. 17) catalogo enumerentur, Rufino abiudicandas esse censet. Iosephi autem libri a Gennadio non nominantur. — Ceterum idem, quem modo diximus, locus hanc quoque ad quaestionem spectat, qui a Rufino in Eusebii historia ecclesiastica latine versus ab Hegesippi verbis multo distet, cum haec Rufini et illa Iosephi antiquitatum interpretatio, quam Cassiodori amici curaverunt, de hoc Christi testimonio ad verbum consentiant.

est, Iosephi libros latine vertere non adulescentis ludum fuisse comprobatur.

Sed ne hominum opiniones aucupari tenebrasque huic quaestioni obducere videar, rem in lucem proferamus. Indagavi enim veteres scriptores, apud quos non verba de Hegesippo facta, quae qualiacunque sunt, semper interpretum libidini sunt obnoxia, sed ipsius verba descripta legimus. Loci autem, quos illi sibi vindicant, omnes fere ex eis sumpti sunt Hegesippi capitibus, quae de Palaestinae situ sunt. Quod cum apud unum et alterum animadvertissem, summum studium in scriptoribus, qui de locis sanctis scripserunt, collocavi, ad quos nunc quidem Tobleri et Molinieri opera (itinera Hierosolymitana etc. I. Genev. 1880) expeditus patet aditus, ipse autem in via mihi aperienda satis negotii habui.

Antiquissimus [1]) autem eorum, qui Hegesippi verba proferunt, videtur esse Eucherius, quem medio saeculo quinto fuisse Toblero et Moliniero viris spectatissimis haud invitus concedo, quamquam parum mihi constare fateor, Eucherium episcopum Lugdunensem (ab anno 434) eius epistulae, quae hic nominanda est, ad Faustum presbyterum fuisse

---

1) Videlicet Weberus etiam antiquiorem invenisse sibi visus est adnotans ad verba Heg. IV 18, 41 *spectes illic* (sc. ad mare mortuum) *ad speciem poma viridantia, formatos uvarum racemos, ut edendi generent spectantibus cupiditatem. si carpas fatiscunt ac resolvuntur in cinerem fumumque excitant quasi adhuc ardeant*, hunc locum desumpsisse Orosium (hist. I 5). Sed, ut recte iam Caesar (p. 395) intellexit, illum locum non ab Orosio ipso, sed ab interpolatore ex Hegesippo additum esse Havercampius (in Oros. edit. Lugd. 1767 p. 42 n. 22) ostendit: *post haec verba insignis adsuitur lacinia in editione Augustana* (a. 1471) *his verbis concepta: Illic poma virentia et formatos uvarum racemos, ut edentibus gignant cupiditatem; si carpas, fatiscunt in cinerem fumumque excitant quasi ardeant. — Verum cum totidem verbis in Hegesippo (seu S. Ambrosio potius) inveniantur, inde desumpta, non vero ab Orosio profecta esse videntur.* Quae verba quamquam iure Havercampius ex Orosio expulit, perverso vel perverse exposito argumento nititur. Nam tametsi ‚totidem verbis in Hegesippo inveniuntur', retinenda tamen sunt apud Bedam, qui in libello de loc. sanct. 12 haec eadem verba ex Hegesippo repetit; itemque Isidorus parum occulit, unde hauserit, quae in orig. XIV 3, 25 enarrat: *Nascuntur ibi poma virentia sub tanta specie maturitatis, ut edendi desiderium gignant. si carpas, fatiscunt*

auctorem [1]). Cuius partem, et valde doleo quod partem tantum, Toblerus edidit (itin. Hier. p. 51—54). Verum cum eius excusationem, cur minus perfectus hic libellus evaserit, accipere debeamus, quod nullum alium habuisset codicem nisi Vaticanum s. XIII, cuius subsidio iam Labbeus hanc epistulam protulerat (in nova biblioth. Paris. 1657 I p. 665), aegrius ferendum est, quod Moliniero, cui cod. Paris. s. VIII praesto erat, *hoc opusculum rursus impressioni dare utilissimum non visum est.* Quo factum est, ut ea ipsa verba, quae ad Hegesippum pertinent, in hac nova editione desint. Sequitur enim post ea, quae Toblerus typis descripsit, primum quarundam urbium descriptio ex Hieronymi epist. 129 sumpta, deinde Galilaeae et Samariae, quae verbis: *Haec Hieronymus vir in omni scripturarum scientia eruditissimus. Sed etiam Iosephus nobilis historicus Iudaeorum situm totius regionis refert* introducta ita finitur: *Hactenus Iosephus; quae idcirco relationi huic inserenda putavi, ut veritatem studiose inquirentibus maiorem Iudaeus relator de Iudaeae situ fidem faceret.* Haec descriptio autem non ex Iosepho ipso (bell. Iud. III 3) pendet, ut Toblerus et Molinierus opinantur: iste Iosephus nemo alius est nisi Hegesippus noster, cuius ex libri III c. 6. versus 1—23 (ed. Web.) et 42—70 ad verbum Eucherius deprompsit. Quibus ex verbis utriusque inter se comparatis quamquam et ad lectiones singulas et ad codicum stirpes examinandas haud parvum emolumentum redundat, tamen quia longum est et ab hac scriptione alienum fructus ipsos huius quaestionis colligere, semina quaedam sparsisse satis habeo. Sed etiamsi Eucherius epistula a Labbeo tam

---

ac resolvuntur in cinerem fumumque exhalant, quasi adhuc ardeant; quamquam aliqua cognatio est inter illa et Solini verba (p. 172, 18 ed. Momms.): *pomum quod gignitur, habeat licet speciem maturitatis, mandi tamen non potest: nam fuliginem intrinsecus favillaciam ambitio tantum extimae cutis cohibet, quae vel levi pressa tactu fumum exhalat et fatiscit in vagum pulverem.*

1) Haec epistula a Fabricio (bibl. lat. med. et inf. s. v. Euch.) inter genuina episcopi Lugdun. opera relata a Schoenemanno (bibl. hist.-litt. patrum lat.) ut subditicia reicitur. Pluris sunt, quae Toblerus (Palaestinae descript. ex saec. IV etc. St. Gall. 1869 p. 109 sq.) et Molinierus (itin. Hieros. p. XVII sq. et LIV) hac de re disputaverunt.

neglegenter sit edita, ut has scripturas emendare operae pretium non sit, tamen ea quamvis ipsa depravata pro instrumento critico in Hegesippo censendo uti licere doceant nonnulla exempla. Ac primum Eucherius utpote Hegesippi codices quinto saeculo circumlatos secutus libris, quos nos habemus, patrocinium praebebit his locis, ubi Weberus omnibus eis invitis Hegesippum e Iosepho graeco corrigere se debere putavit: Heg. III 6, 4 Weberus pro codicum vocabulo *Ioppen* scripsit *Hippene*, idemque ib. v. 61 *Iarda* pro *Iordani*, quo utroque loco Eucherius cum codicibus consentit. Etiam graviora argumenta pugnant contra Weberum ib. v. 43, ubi ex Iosepho recepit *Ginea*, cum lectiones codicum *Eleas* sive *Aeleas* et ab Eucherio, qui praebet *Haelias*, et ab Isidoro, qui in orig. XIV 3, 22 una cum tota sententia ex Hegesippo *Eleas* transcripsit, defendantur; nec minus temere ib. v. 65 pro vocabulo *Tyriorum*, ubi Hegesippi libri et Eucherius et Isidorus (l. l. § 20) inter se concinunt, substituit *Syrorum*. Tum hac quoque re codicis Cassellani singularis fides et vetustas egregie illustratur, quod Eucherius duobus locis eandem atque ille verborum collocationem ceteris libris repugnantibus servavit: Heg. III 6, 54 *si fidem servassent* — Euch. et Cass. *si servassent fidem;* ib. v. 49 *cum athuc alibi* — Euch. et Cass. *cum alibi athuc* (in Cass. in ordinem vulgarem verba restituta esse adnotat Weberus) [1]. — Sed quamvis fructuosa sit haec Eucherii et Hegesippi comparatio, apud nos id maximi ponderis est, quod haec belli Iudaici interpretatio, de qua universa est quaestio, quinto iam saeculo cognita et approbata bis Iosephi nomine appellatur, interpretis autem memoria (paucis lustris post Ambrosii mortem!) adeo imminuta et obscurata erat, ut ad suspicandum adducamur interpretis nomen nunquam innotuisse, certe non inveterasse.

Deinde Hegesippum ab Isidoro quoque compilatum esse locis supra allatis iam enuntiavimus, si modo enuntiari potest, quod non erat reconditum. Nam etiamsi ab Ottone, novissimo

---

1) Semel tamen Eucherius lectionem vulgatam tuetur contra codicem Cass., cum in Heg. III 6, 52 pro *mel et lac* usitatum verborum ordinem praestat *lac et mel;* eodem modo variat scriptura in Isid. orig. XIV 3, 21.

Isidori editore (Lips. 1833 Lindeman. corp. gramm.), id neglectum est, Weberum et Caesarem non fugit, qui (in Heg. ed. p. 394) quinque locos, quos ille ex Hegesippo sumpsit, afferunt. Plures ac fortasse — temporis enim angustiis impeditus, quominus unumquemque evolverem, parum compertum habeo — omnes in egregia Arevali editione Isidori adnotati sunt loci, quos a me ipso conquisitos iam sum adscripturus:

Isid. orig. IX 2, 100 = Heg. V 15, 26	Is. XIV 3, 23 = Heg. III 5, 43. 6, 1. 6, 29	Is. XV 2, 37 = XX 10, 10 } Heg. IV 27, 3
IX 3, 7 = II 9, 59	XIV 3, 24 et 25 = IV 18, 38	XV 3, 13 = I 1, 60
XIII 18, 6 = II 9, 155	XIV 3, 27 = IV 27, 15	XVI 2, 1 = IV 18, 24
XIII 19, 3 et 4 = IV 18, 10	XIV 3, 28 = IV 27, 54	
XIII 19, 6 = III 26, 1	XIV 4, 25 = II 9, 116	XVII 7, 2 = III 5, 21
XIII 21, 17 = III 5, 16	XIV 5, 19 = II 3, 8	XVII 8, 14 = IV 17, 28
XIV 3, 16 = III 5, 5	XIV 6, 2 = V 15, 23	XVIII 11, 1 et 2 = III 11, 2
XIV 3, 20 = III 6, 64		
XIV 3, 21 = III 6, 65	XV 1, 34 = IV 27, 1	XIX 1, 21 = V 15, 27
XIV 3, 22 = III 6, 42		

Tanta est copia locorum, ubi Isidorus Hegesippi verbis usus est; neque plane negaverim, unum vel alterum a me non observatum esse [1]). Dolendum autem est, quod iterum non licet Hegesippi et illius, a quo compilatur, verba, quibus collatis non solum ad utriusque lectiones et codices ponderanda adiumentum firmum comparatur, sed etiam docetur, quod scire plus nostra interest, qua ratione Isidorus illo usus sit [2]), iuxta posita percensere. Quod cum separata disputatione egeat, hic satis sit disseruisse, Isidorum, quippe qui

---

1) Moneo tamen nonnulla leviora a me consulto neglecta esse, veluti Isid. XIV 3, 43 (= Heg. II 9, 131); XIV 6, 15 (= H. II 9, 160) etc.

2) Ea scilicet est, ut ipsum Hegesippum ab Isidoro excerptum esse vix credi possit, sed ei summaria quaedam, in quae etiam huius Iosephi interpretationis partes transiissent, ad manum fuisse perquam sit verisimile. In Palaestinae certe chorographia inde a saeculo quinto Hegesippus aliquamdiu primas partes egisse videtur.

opus ex veteris lectionis recordatione collectum (Isid. ep. VI) scripserit, Hegesippi verba ut propria auctoris nomine dissimulato referre solere, quamquam plerumque non pauca verba decerpsit, sed totam sententiam atque complura enuntiata integra interposuit. Ultimo tantum loco libuit ei profiteri aliena se uti ope. Est autem hic:

Hegesippus V 15, 24	Isidorus IX 2, 100
tremit Saxonia inaccessa paludibus et inviis saepta regionibus, quae licet furta belli videatur audere, et ipsa frequenter captiva romanis accessit triumphis. validissimum genus hominum perhibetur et praestans ceteris, piraticis tamen myoparonibus, non viribus nititur fugae potius quam bello paratum.	Saxonum gens in Oceani litoribus et paludibus inviis sita, virtute atque agilitate habilis. Unde et appellata, quod sit durum et validissimum genus hominum et praestans ceteris piraticis. XIX 1, 21 Mioparo ... utuntur Germanorum piratae in Oceani litoribus vel paludibus ob agilitatem. De qualibus Historia: *Gens* inquit *Saxonum mioparonibus, non viribus nituntur, fugae potius quam bello parati.*

Cum igitur priora verba sine ulla dubitatione pro suis inseruerit, hic aliena ea esse fatetur. Sed quid et quae est illa historia? Non multus est Ottonis in his obscuris sane verbis labor: historicum incertum esse dicit (p. 642). Contra nimis acute Avezacius (mémoires présentés sér. I t. II 1852 p. 288) ex historia corrigendo elicere vult Istri illius Ethici nomen, quod recte vetat C. L. Roth (Heidelb. Jahrb. 1855 p. 103), cum sagaciter non solum horum verborum verum auctorem indagavit, sed etiam altero loco (XIV 6, 29), ubi Avezacius eodem artificio pro *historia dicit* scripsit *Hister dicit*, non Istri, sed Hygini verba (astron. II 4) afferri exploravit. Quae autem historiae vis apud Isidorum sit, intellegi debet ex locis, ubi historia scripturae sacrae opponitur ut XV 1, 2 (cf. Caesar edit. p. 394 n. 7). — Ergo illud quidem perspicuum est, Hegesippum ab Isidoro diligentissime excerptum esse [1]) atque tum in eorum historicorum numero

1) Quod Caesar (p. 395) dicit, simili modo Isidorum etiam Am-

fuisse, qui maxime lectitabantur, spes autem hinc Iosephi interpretem cognoscendi ad irritum cecidit.

Quare ab Isidoro destituti adeamus alios, Adamnanum dico et, qui eum studiose compilavit, Bedam. Sed priusquam singula adoriamur, pauca de illo, cuius nomen minus pervulgatum est, exponenda videntur. Adamnanus (sive Adamannus), abbas in Iona insula prope a Scotia sita, qui anno 625 natus, 705 mortuus esse dicitur, tres scripsit libellos de locis sanctis. Qui cum post Mabillonium (Act. SS. 1672) et Iac. Gretserum (Ingolst. 1619 et Ratisb. 1734 tom. IV) typis non essent exscripti, magno desiderio subvenit M. Delpitus, cum novam editionem curavit (pélerinage d'Arculphe Paris 1870), sed adeo non satisfecit, ut Toblerus iure posset dicere (itin. Hieros. p. XXXII): *manifestum omnibus erit novam istam editionem maxime utilem fore.* Quamquam autem Toblerus in codicibus excutiendis multo maiore diligentia usus est, tamen complures et eos optimos neglexit, quorum lectiones varias in appendice operis quod saepius diximus (p. 392—418) additas debemus Moliniero. Ceterum ut Delpitus, qui praefatione sexies tanta, quantus ipse est libellus, praeposita omnia, quae ad rem pertinent ac non pertinent, enarravit, de fontibus Adamnani minime sollicitus erat, ita illi quoque editores hanc quaestionem minus religiose tractaverunt. Tametsi enim Adamnanum passim aliqua inseruisse, quae a peregrinatore (Arculfo) [1]) non accepisset recte animadverterunt, labore eos fontes investigandi supersedere posse sibi visi sunt, tantum quod locum ex Hieronymi onomastico sumptum et a scriptore ipso significatum

---

brosio usum esse, *cuius scrinia saepissime compilasset fonte suo non magis indicato*, pace illius viri doctissimi dixerim, nisi forte mihi exemplis illis enumeratis persuaserit, me eis, quae affirmat, fidem non habiturum. — Ceterum etsi crederem Ambrosium totiens nomine neglecto citari, eum vocabulo ambiguo atque profano historia indicari nunquam credam.

1) Cf. libelli praefationem: Arculfus, sanctus episcopus, gente Gallus, diversorum longe remotorum peritus locorum, verax index et satis idoneus, in Hierosolymitana civitate per menses novem hospitatus et locis quotidianis visitationibus peragratis, mihi Adamnano haec universa . . . fideli et indubitabili narratione dictavit.

(II 7 *Locorum liber*) exploraverunt, quamquam idem Hieronymus et dilucidis verbis citatur:

Adam. II 10	Hieron. de interpr. nom. hebr. ed. Vallars. (Venet. 1767) III
. . . quercus Mambre exstat in terra radicata, quae et quercus Abraham dicitur, eo quod sub ea quondam angelos hospitio receperit. Quam S. Hieronymus alibi narrat, ab exordio mundi usque ad Constantini[1]) regis imperium permansisse etc. cf. Isid. XVII 7, 38.	p. 130 quercus Abraam, quae et Mamre, usque ad Constantii regis imperium monstrabatur . . . . . superstitiose colitur, eo quod sub ea Abraam angelos quondam hospitio receperit. p. 195 Drys i. e. quercus Mambre . ., quae usque ad aetatem infantiae meae et Constantii regis imperium terebinthus monstrabatur pervetus etc.

et omisso auctoris nomine manifesto compilatur:

Adam. II 12.	Hieron. ib. p. 230.
Iericho urbis, quam Iosue[2]), Iordane transmisso subvertit rege illius interfecto, S. noster Arculfus conspexit locum, pro qua Hiel[3]) de Bethel ex	Iericho urbs, quam Iordane transgresso subvertit Iesus, rege illius interfecto: pro qua exstruxit aliam Ozam de Bethel ex tribu Ephraim, quam

1) Si non restituendum, intellegendum tamen est ex Hieronymo nomen *Constantii*. Nam etiamsi refragatur Isidorus, qui l. l. *Constantis* vel *Constantini* exhibet, illud necessario demonstratur Hieronymi verbis *usque ad aetatem infantiae meae*, quae, quoniam eum post a. 340 natum esse Zoeclerus cum omnium adsensu comprobavit, in imperium Constantii devenit. (Ioannes Wirceb. c. 21 [Tobler descript. St. Gall. 1874] usque ad tempus Theodosii imperatoris testante Hieronymo). Sed multo maioris momenti est, quod Heges. IV 23, 30 dicit: *terebinthus illic magna arbor a constitutione mundi fuisse asseveratur, nunc tamen utrum athuc maneat incertum nobis est*, cum in Iosepho IV 9, 7 scriptum sit: *φασὶ τὸ δένδρον ἀπὸ τῆς κτίσεως μέχρι νῦν διαμένειν.*

2) cod. Vindob. s. X. *Iesus.*

3) Utique retinenda erat codicum scriptura *Oza*, quam non modo

Adam. II 12.

tribu Ephraim aliam exstruxit, quam noster Salvator sua praesentia visitare dignatus est. Quae eodem tempore, quo Hierusalem oppugnantes obsidebant Romani, propter civium perfidiam capta et destructa est. Pro qua tertia condita est, quae post multa temporum intervalla et ipsa subversa est. Cuius nunc quaedam, ut Arculfus refert, ruinarum vestigia monstrantur.

Hieron. ib. p. 230.

Dominus noster atque Salvator sua praesentia illustrare dignatus est. Sed et haec eo tempore, quo Ierusalem oppugnabatur a Romanis propter perfidiam civium capta atque destructa est. Pro qua tertia aedificata est civitas, quae usque hodie permanet et ostenduntur utriusque urbis vestigia usque in praesentem diem.

Contra alium secutus est in describendo loco ascensionis:

Adam. I 23.

... loco, in quo postremum divina cernuntur[1]) vestigia, cum in caelum Dominus in nube sublevatus est ... cum haec ... basilica fabricaretur, idem locus vestigiorum Domini, ut alibi scriptum repertum est, continuari operimento[2]) cum reliqua stratorum parte non potuit. Siquidem quaecumque adplicabantur, insolens terra humana suscipere respuens, in ora adponentium[3]) reiecit. Quin etiam a Domino concalcati[4]) pulveris adeo perenne documentum est, ut ve-

Sulpic. Sev. chron. II 33, 5.

Helena ... basilicas in loco Dominicae passionis et resurrectionis et ascensionis constituit. illud mirum, quod locus ille, in quo postremum institerant divina vestigia, cum in caelum Dominus nube sublatus, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte non potuit, si quidem quaecumque applicabantur, insolens humana suscipere terra respueret, excussis in ora apponentium saepe marmoribus. quin etiam calcati Deo pulveris adeo perenne documentum est, ut vestigia

---

Hieronymus, sed etiam Isidorus, qui illius verba in orig. XV 1, 20 refert, defendit; cf. etiam itin. Hier. p. 208, 20.

1) plurimi codices *institerant.*

2) cod. Vind. Laudun. alii *pavimento.*

3) iidem inserunt *excussis marmoribus.*

4) cod Vind. *Deo calcati.*

Adam. I 23.	Sulpic. Sev. chron. II, 33, 5.
stigia cernantur impressa, et cum quotidie confluentium fides a Domino calcata diripiat, damnum tamen area [1]) non sentit et eandem adhuc sui speciem veluti impressis signata vestigiis terra custodit. . . . - Igitur nostri Arculfi de vestigiis domini narratio cum aliorum scriptis recte concordat.	impressa cernantur, et cum cotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat, et eandem [2]) adhuc sui speciem velut impressis signata vestigiis terra custodit.

Profecto *Arculfi narratio cum aliorum scriptis recte concordat*, quandoquidem ad verbum ex Sulpicio Severo descripta est. Sed Delpitus perinde ac si, quod ipse non invenit, omnino nusquam inveniretur, haec satis audacter pronuntiat (p. 289): *Adamnan rapporte ici une tradition consignée dans d'autres pélerinages qui ne sont pas parvenus jusqu' à nous.*

Sed ne longius a proposito aberret oratio, ad Hegesippum redeamus. Quid autem cognationis inter hunc et Adamnanum? Videlicet neque Delpitus neque Toblerus societatem ullam inter utrumque intercedere senserunt, quamquam id ipse Adamnanus parum occuluit. Verum ne quis, ut illi quidem verba, quae illud indicant, legerunt neque tamen intellexerunt, de interpretatione eorum adversetur, ad ea ipsa, quae Adamnanus ex Hegesippo descripserit, conferenda eum provocamus. Quorum locus gravissimus est, ubi de Alexandriae situ (II 28) exponens Hegesippum ita compilavit, ut utriusque verba sibi hunc in modum respondeant: Adam. p. 187 v. 17—19 = Heg. IV 27, 2 et 3; Ad. 187, 19—188, 31 = Heg. v. 24—55; Ad. 189, 1—14 = Heg. v. 16—24. Quo-

1) duo codd. IX saec. *arena.*

2) Codex Palatinus, in quo uno Sulpicii chronicorum salus est, praebet *eadem* . Sed hoc Adamnani testimonio egregie comprobatur Laubmanni coniectura, quam recepit Halmius, *eandem.* Adamnani autem scripturam tuetur Beda, qui haec eadem verba et in libello de loc. sanct. 7 et in hist. eccl. V 17 repetit (= itin. Hier. p. 236, 29). — De universa huius loci descriptione cf. etiam (Pseudo) Hieronymum in edit. Vallars. III. p. 762.

niam autem ut totius descriptionis partes invertit, ita verborum collocationem et verba ipsa interdum immutavit atque in universum Hegesippum tam oscitanter descripsit, ut exempli causa homoeoteleuto turbatus (p. 188, 15 = Heg. v. 44) complura verba omitteret, ad has lectiones distinguendas et confirmandas subtilior ac longior quam quae cum nostro instituto conveniat, opus est disputatio. Verum tamen ad comprobandum operae certe pretium esse in hanc rem inquirere, satis habeo generaliter dicere, Adamnani librorum Vindobon. s. X (Y) proxime ad Hegesippi lectiones accedere, huius autem codicem, quem Adamnanus adhibuerit, Cassellano deteriorem fuisse videri; singula deinde haec pauca affero: p. 188, 10 Adamnani editor iniuria removit plurimorum codicum scripturam *artatur* (= Heg. v. 40); p. 188, 15 retinere debuit codicum vocem *scrupeas* (= Heg. v. 44); p. 188, 3 vocabulum *fascibus* per errorem irrepsisse videtur, cum et Hegesippus (v. 34), quem Adamnanus exscripsit, et Beda (de loc. sanct. 19), qui Adamnanum exscripsit, *facibus* praebeant.

Illa in extrema descriptione Adamnanus addit haec: *Arculfi relatio de Alexandriae situ et Nili non discrepare comprobatur ab his, quae in aliorum libris scripta ex lectione cognovimus. De quibus quaedam brevi textu excerpta inseruimus etc.* Sed hoc probe iam stabilito ea quae dicit scripta Hegesippi fuisse, omnium maxime nomen, quo ille ab Adamnano appelletur, excutiendum est. Atque hic haerentibus nobis opportune subveniunt illa verba adhuc non intellecta, quae alterius libri capitibus 17 et 18 maxima ex parte eodem ex Hegesippo [1]) collectis facit: *haec brevia de Iordanis exordio et lacu Cinnereth partim de tertio Iudaicae captivitatis libro partim de Arculfi experientia excerpta retulimus.* En habemus operis inscriptionem [2]), sub qua Adamnani temporibus id circumlatum esse necesse est hinc colligamus. Atque hanc inscriptionem illi quae hodie recepta est *bellum Iudaicum* praeferendam esse praeter

1) Inveniuntur in Heg. III 26; quocum Adamnano collato lectionem *mollior* (Ad. p. 180, 15) temere repudiatam esse docetur.

2) Quaenam fingi potest causa, cur non auctorem (videlicet Ambrosium!) appellaverit, cum haec citandi ratio multo facilior sit atque una paene usitata?

Cassiodorum (inst. div. litt. 17 *septem libros captivitatis Iudaicae*) locupletissimus testis est Hieronymus, qui in comm. ad Iesai. XVII 64, 8 haec disserit: *ad tempus Romanae victoriae universa referimus, quae Iosephus Iudaicae scriptor historiae septem explicat voluminibus, quibus imposuit titulum captivitatis Iudaicae i. e. περὶ ἁλώσεως.*

Cum Adamnano apte cohaerere Bedae Venerabilis libellum de locis sanctis inter homines doctos constat, quin increbuit opinio *eum nihil aliud esse quam Arculfianae peregrinationis epitomen et immerito pro archetypo habitum fuisse* (itin. Hier. p. XXXIV). Sed, ut idem ait Toblerus, *Beda notabilia multa addidit, quae in Arculfo aut Adamnano frustra requiras, multaque ex aliis scriptis adiecit, quae non parvi nobis pretii sunt.* Quare posita quaestione: *quinam sunt ergo illi auctores, quos Beda in manibus habuit?* nominat Flavium Iosephum et Eucherium et *quendam Eucherii antecessorem.* Ac recte quidem inter eos numerat Eucherium, unde quos locos Beda petiisset, enucleate exploravit Molinierus (p. LV); strictim tantum attingit Iosephum; de illo Eucherii antecessore autem ne coniectura quidem quidquam auguratus plane tacet, quasi eum unquam investigari posse desperandum sit. Attamen quam nihil abfuit, quin ipse illum auctorem inveniret. Nimirum idem est atque iste Iosephus, neque tamen graecus scriptor sed latinus eius interpres i. e. Hegesippus. Huic enim debet Beda non solum Maris Mortui descriptionem, quam aliunde manasse Toblerus sagaciter sensit, sed perpaucis verbis exceptis omnia, quae capitibus X, XI, XII enarrantur [1]). Quod ad lectiones examinandas attinet, idem fere, quod de Adamnano diximus, in Bedam quoque cadit. Quamquam enim dubium esse non potest, quin p. 225, 22 *aegrum* pro *agrum* (cf. Heg. IV 16, 28), p. 227, 22 *generum* pro *genera* (cf. Heg. IV 18, 12) ex codicibus recipiendum, contra p. 226, 25 vox *loca* ab editore inducta rursus expellenda sit, tamen quia saepe difficillime diiudicatu est, quae per librariorum neglegentiam quaeque Bedae ipsius arbitrio vel errore immutata et depravata sint,

---

1) Contra quae in c. 19 de Alexandria exponuntur, quamquam ad Hegesippum revocanda sunt, tamen non ex eo ipso, sed ex Adamnano assumpta videntur esse.

Hegesippi verba ad interpretandum potius et intellegendum quam ad emendandum adhibeantur malim. Mutilavit enim non semel inepte illius sententias et tam perplexas reddidit, ut dubitare debeamus, utrum ipsos Hegesippi codices an epitomen [1]) quandam a prioribus acceptam secutus sit.

Quibus rebus explicatis quantum Bedae de auctoritate eo, quod totum fere libellum ex alienis operibus et eis, quae etiamnunc nos habemus, compilatum esse indicavimus, deminuitur, tantum emolumenti huius opusculi editoribus attulisse mihi videor. Sed verendum est, ne illorum commodis magis inserviam quam meis, cuius id refert, ut Iosephi interpres cognoscatur. Quod summa cum cura quaerentibus nova quaedam nobis affulsit spes una cum Hegesippi verbis genuinum huius interpretis nomen apud Bedam deprehendendi. At pro execranda illa, qua in auctoribus citandis utebantur veteres, neglegentia de fontibus suis Beda nihil nisi haec explanavit: cap. 21 *Haec de locis sanctis, prout potui, fidem historiarum secutus exposui et maxime dictatus Arculfi. . . . Ex qua (Adamnani historia) aliqua decerpentes veterumque libris comparantes tibi legenda transmittimus etc.* Neque pluris est ille versus prooemii, quod cum alii codices tum Monac. s. IX servavit, *Beda sequens veterum monumenta simulque novorum.*

Totiens igitur spe decepti atque sciscitando defatigati tamen Hegesippi vestigia persequi non desistamus, quamquam fatendum est me ipsum multos libros, inprimis illa itinera Hierosolymitana [2]) frustra perscrutatum post Bedam evanuisse

1) Epitome eum usum esse si statuas, optime explicatur, quomodo factum sit, ut inter Bedae verba (c. 10) de opobalsamo ex Heg. IV 17, 28 sq. descripta de improviso quaedam ex Heg. I 15, 43 petita occurrant. — Admonitus his verbis reticere nolo, cum ceteroquin Beda saepius cum lectione vulgata Hegesippi consentiat, eum hic (p. 225, 14): *agricolae cortice tenues virgulas acutis lapidibus incidunt* ex eodem mendo laborare cum codice Cassellano, qui item *tenues* pro *tenus* praebet. — Praeter Bedam etiam Isidorus in orig. XVII 8, 14 hunc Hegesippi locum excerpsit; quare Ambrosii patronos provocasse iuvat ad Ambr. psal. CVIII serm. 3, 8, ubi ipse opobalsamum describit verbis ab illis admodum alienis.

2) Cum magna exspectatione tractatum de distantiis locorum terrae sanctae, quem compilavit Eugesippus a. d. MXL (in Leonis

iam illius memoriam putavisse, cum in eam incidi, ubi non quaesiveram, apud Widukindum, qui in rebus Saxonicis (script. a. 967) Saxonum originem repetens [1]) haec disputat: I 2 *Ceterum gentem antiquam et nobilem fuisse non ambigitur; de quibus et in contione Agrippae ad Iudaeos in Iosepho [al. Ioseppo] oratio contexitur.* Etenim dubium esse non potest, quin, ut editores ad illum locum doctissime iam adnotaverunt, Widukindus legentes ad illa Hegesippi verba saepius iam allata (V 15, 24 sq.) deleget. Nam Flavius Iosephus neque in ea, quam ille dicit, Agrippae contione (bell. Iud. II 16, 4) neque usquam alibi ne nomen quidem Saxonum exhibet. Concedendum sane est, de Saxonibus loquentem ab ipso Hegesippo non Agrippam induci (II 9), sed Iosephum (V 15). Cum autem hae contiones, quarum in utraque multa de variis imperii Romani gentibus enarratur, ut similes a Widukindo facile confundi potuerint, alia autem via eius verba explicandi non pateat, illum Iosephum esse Hegesippum, quem nos dicimus, non dubito affirmare, praesertim cum hoc nomine latinum quoque interpretem ab Eucherio appellatum esse cognoverimus. — Quodsi verum est, statim sequitur, ut Iosephi sive Ioseppi nomen, ut iam saeculo quinto, ita etiamtum decimo ad illam captivitatis Iudaicae interpretationem significandam usitatum non modo sed proprium fuisse dicas. Cui sententiae, ut supra demonstravimus, et codex Cassellanus *(Iosephi lib. I etc.)* atque Vaticanus saec. IX vel X *(historia Iosippi)* assentiuntur, neque refragatur Ambrosianus, in cuius antiquiore parte invenitur: *Iosephi liber quintus*, in subscriptione autem primi libri vocabulum *Egesippi* recentiore manu ex *Iosippi* correctum esse Niesius perspexit. Sed idem in aliis quoque codicibus (num etiam in Bernensi factum sit nescio) usu venisse animadvertit iam Is. Vossius, qui in append. ad LXX interpr. p 127 complures *membranas pervetustas, in quibus eraso Iosippi nomine alterum substitutum comparet,* sibi esse dicit. Denique Vallarsius hac de re disputans (in praef. ad Rufini op. II 16) *hanc erasionem saeculo XII vix antiquiorem* esse iudicat.

Allatii συμμίκτοις p. 102 Amsterd. 1653), appetivi, sed illum librum tandem assecutus spe frustratum me esse mox intellexi.

1) Eodem modo Iordanis (in reb. Getic. c. 4) ut Gothorum originem declaret, Iosephi testimonium usurpat vel fingit.

Hanc ad temporis definitionem sane parum certis argumentis comprobatam optime quadrat, quod saeculo XII primi occurrunt scriptores, qui Hegesippi nomen receperunt[1]). Quorum primus, quantum equidem sciam, est Guillelmus Malmesberiensis, qui primam expeditionem sacram describens Antiochiae mentione facta haec disserit (de gest. regum Angl. Francof. 1601 p. 138, 25): *Cuius situm commemorarem, nisi aviditatem meam praeoccupasset Ambrosiana in Egesippo facundia;* deinde necessitatis excusatione prolata tamen nonnulla ex Heg. III 5 sibi sumpsit, ut quem dicat librum, incertum esse non possit[2]). Paulo post hunc, cuius aetas ex ipsius verbis eiusdem libri: *abhinc annis ducentis quinquaginta id est anno incarnationis octingentesimo septuagesimo* (= 1120) facile computatur, fuit Ioannes Saresberiensis, qui in Polycratico suo (a. 1159 confecto) bis Hegesippum nominavit: VI 19 *longum est si inclyta gesta tanti principis enumerare contendam . . . . nec ego viribus meis arrogo, in quo sudare potuerunt Orosius, Hegesippus, Trogus* — et VIII 18 *(tyrannorum exitus miseros) si quis diligentius recenseri voluerit, legat ea, quae Trogus Pompeius, Iosephus, Hegesippus, Suetonius, Q. Curtius etc.* Eandem miram Iosephi et Hegesippi coniunctionem

1) Magno in errore versatur Vallarsius, cum Orderici Vitalis verbis (in historiae usque ad annum 1141 perductae libr. II p. 408): *Egesippus vir sanctus et eruditus, apostolorum temporibus vicinus, in quinto commentariorum suorum libro Iacobi Iusti meminit* hunc Iosephi interpretem significari putat, non solum quod hic, in cuius neque quinto neque ullo alio libro Iacobum Iustum commemoretur, intellegi non potest, sed etiam quod ex Hieron. de vir. ill. 2 *Hegesippus vicinus apostolicorum temporum in quinto commentariorum libro de Iacobo narrans* luce clarius apparet, Graecum scriptorem ecclesiasticum ab Orderico recte designari. — Ceterum ea quoque in re Vallarsius lapsus est, quod *omnium primum Ordericum esse qui hunc Egesippum laudaverit*, dicit, cum ipse scriptorem compluribus certe annis superiorem investigaverim.

2) Quamquam hic Egesippi nomen usurpavit, tamen in verbis (l. l. p. 140, 33): *de situ et positione Ierusalem nihil me dicere copia scriptorum admonet nec necesse est, ut in hoc campo mea exsultet oratio. Adeo fere omnium notitiae patet, quod Iosephus, quod Eucherius, quod Beda scripsere* illum Iosephum intellegendum esse nostrum Hegesippum pro certo affirmaverim.

deprehendimus apud Guillelmum Tyrensem, qui exeunte XII saeculo fuit. Cum enim in hist. libr. VIII p. 746 (edit. Hanov.) de tempore, quo Hierosolyma a Romanis capta sint, scripsit, his testibus utitur: *ut referunt egregii scriptores et illustres historiographi Hegesippus et Iosephus.* — Ad postremum in hanc sententiam afferri potest, quod in codice quodam Vaticano extremo (saec. XII num. 1987. Montf. p. 124 C), cuius inscriptione *Hegesippus apostolorum discipulus disertissimus* auctor appellatur, versus exstant, quibus docemur Mansonem quendam abbatem habuisse

Hunc Iosephi librum veterum monimenta tenentem
Annis nongentis primo et nonaginta peractis
Postquam per carnem Christus successit in orbem.

Ergo idem liber, qui anno 991 etiamtum Iosephi nomine inscriptus erat, saeculo XII Hegesippo tribuitur. — Omnibus autem his rebus perpensis Hegesippi nomen post saeculum decimum in consuetudinem venisse mihi comprobatum est.

Aliquanto prius quam hoc inepte conflatum vocabulum in codices irrepsit, Ambrosii nomen [1]), ut huc referat se oratio, receptum esse putandum est. Rationem autem, qua id factum est, hanc propono: Cum haec Iosephi interpretatio iam ab Eucherio atque etiamtum a Widukindo non interpretis sed ipsius Iosephi nomine designetur, Adamnanus deinde auctoris loco operis inscriptionem nominaverit, tum Isidorus et Beda verbis non satis definitis usi sint, denique cum ex Hieronymi verbis (epist. 71), ad amicum rumorem quendam perlatum esse Iosephi opera ab ipso in latinum esse translata, exstitisse tum Iosephi interpretationem, sed de interprete dubitatum esse efficiatur, verisimillimum videtur esse hoc opus, ut supra iam monuimus, sine auctoris nomine in hominum manus venisse. Quod si probabile videtur, hominum studiis nihil magis consentaneum fuisse intellegitur quam auctorem opere illo omnibus laudibus cumulato dignum explorare. Atque Cassiodori temporibus Hieronymum, Ambrosium, Rufinum hac de gloria inter se certasse ostendimus. Quoniam vero Hieronymus ipse Iosephum a se latine

---

1) Scriptorem, qui Ambrosium auctorem nominet, antiquiorem quam Guillelmum Malmesberiensem, cuius verba *Ambrosiana in Egesippi facundia* modo attulimus, scio nullum.

versum esse negat, Rufino autem altera Iosephi interpretatio ascripta est, unus iam ex illis, quos Cassiodorus auctoritate sua haud parva commendaverat, superfuit Ambrosius. Denique si memineris, antiquissimum eorum codicum, qui Ambrosii nomen prae se ferant, esse Mediolanensem i. e. in Ambrosii urbe scriptum, per monachos patroni studiosissimos Ambrosium Iosephi interpretem factum esse, quis tam cauto animo aut tam tardo est ingenio, quin continuo coniciat? Hac ratione cum evidenter illustretur, quamobrem antiqui codices et scriptores Ambrosii nomen ignorent, contrarium, cur hoc nomen ex optimis codicibus evanuerit et veteres, qui ex illo opere hauserunt, nusquam citaverint, difficillimum est intellectu.

Tota res breviter peroratur.

Cum eis quae disputavimus id potissimum petiverimus, ut sententiam, Iosephi interpretem esse Ambrosium, refutaremus, nunc quoniam per omnia latibula illos persecuti non iam habemus, quibuscum certemus, his adversariorum laqueis expediti ultro inquiramus, quae inter certandum idonea ad describendum, quis vel potius, quia id minus fieri poterit, qualis fuerit illius interpretationis auctor, relicta sint. Sed priusquam id aggrediamur, paucis verbis ea, quae summa effecisse nobis videmur, repetamus:

1) Hegesippi, qui dicitur, quinque libri de bello Iudaico compositi sunt ab aliquo interprete, qui Flavii Iosephi septem libros *περὶ τοῦ Ἰουδαικοῦ πολέμου ἢ Ἰουδαικῆς ἱστορίας περὶ ἁλώσεως* graecum exemplar satis diligenter secutus neque tamen ad verbum in latinum transtulit. Inscriptio autem fuisse videtur ‚Captivitatis Iudaicae libri quinque‘ [p. 43].

2) Hegesippi sive Egesippi nomen ex verbis male conglutinatis ‚ex iosepho‘ vel ‚e ioseppo‘ explicandum est [p. 5]. Hoc Iosephi nomine, quod in antiquissimis codicibus aut integrum exstat aut ab sciolo librario erasum restituendum est [p. 46], illa interpretatio iam quinto [p. 36] atque decimo etiamtum saeculo [p. 46] significatur. Hegesippi contra nomen, quod in recentioribus codicibus fere

omnibus invenitur, apud scriptores primum occurrit saeculo duodecimo [p. 47]. Itemque Ambrosius in recentioribus tantum codicibus auctor appellatur, antiquissimorum testimoniis caret [p. 7].

3) Iosephi interpres ipso opere suo comprobatur fuisse homo Christianus [p. 14], qui antequam hos libros convertit, ‚quattuor regnorum libros historiae in morem composuerat' [p. 13]. Scriptum autem esse hoc opus ante a. 375 verisimile, ne dicam, certum est [p. 11].

4) Denique haec interpretatio, quam Hieronymi temporibus factam esse satis exploratum est ac iam pervulgatam esse probabile, quam a Cassiodoro laudari putatur [p. 33], compilata est ab Eucherio, Isidoro, Adamnano, Beda atque permultis eisque praestantissimis codicibus descripta ad nostra tempora pervenit.

Quibus sententiis supra pro viribus confirmatis ea quae sum explicaturus, non quasi Pythius Apollo, ut ait Cicero, certa ut sint et fixa dicam, sed ut homunculus unus e multis probabilia coniectura sequens.

1) De interpretis doctrina et eruditione: Divinarum litterarum eum admodum fuisse peritum, ex ea ipsa re, quod quattuor libros sacros interpretatus est, apparet [1]). Neque in ceteris fuisse hospitem illud unum satis demonstrat, quod (act. sem. Erl. I 350 ss.) plurimis exemplis illustratum est, Sallustii ita fuisse eum studiosum, ut sedem paene ac domicilium in eius dicendi genere collocaret. Quamquam hic illic occurrunt etiam dictiones Ciceronis et Vergilii et Horatii atque, quae praeter Sallustii plurimae sunt, Taciti [2]), e quo non solum locutiones quasdam, sed etiam

---

1) Perversus est ille locus (Heg. V 22, 103), ubi contraria dicit eis, quae in Maccab. I 2, 41 exstant atque ipse I 1, 11 scripserat.

2) Caesar (edit. p. 399 n. 11) adnotat: Hegesippi orationem saepius cum Tacitea convenire exemplis probat Wopkens. in advers. in Tacitum p. 352 sqq. Frotsch. — Sed pluris haud scio an habendum sit, quod Catonis quoque verba semel interposuit; exstant enim in Titi oratione haec non ex Iosepho sumpta, sed de ipsius doctrina addita: V 27, 64 *Quid de Romanorum integris legionibus loquar? quas Cato Romanae assertor facundiae et veritatis sincerus interpres asseruit, cum exultatione ad bellum pro-*

ipsas res decerpsit, ut ex hist. V 6 (de lacu Asphaltio) *neque pisces aut suetas aquis volucres patitur* Heg. IV 18, 13 *neque pisces neque assuetas aquis . . . patitur aves.* — Scilicet interpreti occasio suam doctrinam ostentandi minus data est, tamen Iosephi verba interdum augens neque historiae (II 3, 30 Tiberius V 46, 37 Cloelia, Mucius Scaevola) neque fabularum (V 41, 64 Thyesteae dapes) neque chorographiae [1]) rudem se esse probat.

2) De interpretis ratione et consilio: Quoniam in praefatione pronuntiavit Iosephi bellum Iudaicum in latinum translaturum se esse, auctoris nomen etiam atque etiam repetere non putavit oportere, sed tanquam sua scientia usus [I 35, 13 *ac ne singula persequar* II 5, 18 *breviter expediam* III 3, 1 *sed ut ad propositum redeamus* IV 5, 2 *circa alias urbes stilum occupamus* V 53, 2 *hunc sermonem . . quasi epilogum quendam claudendo operi deplorabilem more rhetorico non praetermisimus*] auctorem nisi quattuor locis [I 1, 62 *ut Iosephus auctor est* II 12, 11 *dicente Iosepho historiarum scriptore* ib. 18 *hoc dixit Iosephus* ib. 49 *auctore Iosepho*] nusquam nominat. Saepissime autem eundem verbis parum definitis indicat neque suo stare se iudicio fatetur, ut I 6, 25 *historia vetus prodidit* II 9, 157 *rerum periti asseruere* III 6, 66 *ut prudentibus placuit* IV 27, 14 *si fides assertis adest* V 44, 27 *sicut libri Iudaeorum manifestarunt;* neque autem quidquam crebrius quam (*ut*) *accepimus*, *audivimus*, *comperimus*, *fertur*. Contra suo se uti iudicio declarat huiusmodi sententiis: IV 4, 8 *haut liquido scio* IV 23, 31 *incertum nobis est* IV 18, 20 *non placuit pro vero locare;* saepissime vero invenitur *reor*, *ut reor*, *quod potius reor*, (*ut*) *arbitror*. Ceterum adeo sibi subiunxit Iosephum vel Iosepho se subiunxit, ut has ipsas sententias ex

---

disse, de quo se redituros non arbitrarentur universosque libenter procubuisse, ne mutarent sententiam. [Cf. Orig. 4, 8 ed. Iordan.]

1) Cuius generis quamvis multa iam protulerimus, tamen multa praetermittere coacti eramus, quorum haud scio an nihil gravius verbis de urbe Scythopolitana factis (Heg. III 19, 9 sq.) cum propter alia tum propter hanc sententiam: *urbs Dianae Scythicae consecrata . . . et appellata civitas Scytharum ut Massilia Graecorum*, cui quae respondeant apud Ioseph. III 9, 1 non inveniuntur.

graeco exemplari adsumeret, ut I 28, 20 *haut liquido patet neque nostro iudicio definiri potest* (Ios. I 11, 8 ἄδηλον ἦν) IV 10, 36 *ut mihi videtur* (Ios. IV 5, 1 ἔμοιγε δοκεῖ).

3) De interpretis arte et facultate: Quamquam haec Iosephi interpretatio iure saepe et multis laudibus elata est, tamen iam Gronovius (monob. p. 165 sq.) complures ostendit errores, quorum numerum Caesar (edit. p. 392 n. 5) adauxit neque explevit. Quos breviter perstringens discernendos esse puto eos, qui ad neglegentiam quandam referendi, ab illis, qui per inscientiam admissi sint. In illis autem non ita paucis numero locos huiusmodi: Heg. I 40, 56 *ultra Euphraten* — Ios. I 24, 5 πέραν Ἰορδάνου, Heg. V 23, 1 *clausus tenebatur Iosephi pater*, ubi ex Heg. V 16, 192 et Ios. V 9, 4. 13, 3 mater pro patre dicenda erat; horum iterum secerno duo genera:

a) menda inde orta, quod verba non intellexit. Ac forsitan illis rectius tribui possit, quod Iosephi verba antiq. XV 2. 5 μουσουργοῦ τινος . . συμπραγματευομένου ita reddit latine Heg. I 37, 23 *per Musurgam quendam* pro *per tibicinem q.* Similique ratione iudicandus est ille ridiculus error, quem ipse sensit neque perspexit. Legimus enim apud Heg. IV 15, 43 *denique LXXXXII milia et ducenti illa die Iudaeorum perisse aestimati a quingentis tantummodo equitibus et tribus milibus exercitus pedestris* ex Ios. IV 7, 5 ἑάλωσαν δὲ περὶ δισχιλίους καὶ διακοσίους: habuit nempe, ut Weber rem explicat, notam praepositionis περὶ pro numero LXXXX. Gravius vero est hoc mendum: Ios. II 16, 4 πεντήκοντα πρὸς ταῖς ἑπτακοσίαις ἔχουσα μυριάδας ἀνθρώπων, quae vertens hoc facit puerile vitium: Heg. II 9, 148 *decies septingenta et quinquaginta milia hominum* [recte 10 × 750000]; atque cum idem Iosephi numeros V 9, 4 ὀκτωκαίδεκα μυριάδας ἐπὶ πεντακισχιλίοις Heg. V 16, 53 emendate his notis describantur: *CLXXXV milia* (itemque Ios. V 13, 7 μυριάδας ἕνδεκα νεκρῶν ἐπὶ πεντακισχιλίοις ὀγδοήκοντα = Heg. V 25, 2 *CXV milia mortuorum additis adhuc DCCCLXXX funeribus;* Ios. VI 9, 3 ἐννέα μυριάδες καὶ ἑπτακισχίλιοι = Heg. V 49, 31 *LXXXXVII milia*), contra Ios. VI 9, 3 μυριάδες ἑκατὸν καὶ δέκα his verbis latinis vel potius non latinis reddantur: Heg. V 49, 29 *centum de-*

cem myriades, suspicio non abest, numeros [1]) ab interprete recte computari, non in latinum transferri potuisse.

b) menda, in quae rerum inscientiae causa incurrit: Elegi autem ad hoc illustrandum verba rerum militarium, quarum tam rudem, ut vix credi possit, interpres se praestat. Ac primum quidem pro graeco vocabulo *τάγμα* (= legio) proprium latinum invenire nequit. Quamquam enim aliquotiens voce *legionis* utitur (I 33, 20 IV 26, 4 V 27, 64), tamen nusquam eam inveni, ubi apud Iosephum *τάγμα* legitur; quare cum illud verbum vere latinum eis tantum locis adhibuit, ubi a Iosepho plus minusve recessit, suspicionem a me removere non possum, perpaucis illis locis latinos scriptores ei ad manum fuisse, praesertim quod semel (V 27, 64) ipse Catonis verba se referre dicit. Plerumque autem *τάγμα* reddidit vocabulis *ordo*, *exercitus*, *numerus militaris*, *ordo militarium numerorum*. Deinde etiam in verbo *πεζός* vertendo titubavit, cum *ἱππεύς* plerumque suo verbo significetur veluti Ios. III 7, 31 *χιλίους μὲν ἱππεῖς, πεζοὺς δὲ δισχιλίους* = Heg. III 13, 4 *cum mille equitibus et duobus milibus virorum militiae pedestris* (item Ios. VI 7, 1 = Heg. V 47, 1); Ios. III 9, 2 *πεζούς τε καὶ ἱππεῖς* = Heg. III 20, 9 *pedestris militiae manum et equitum plerosque;* Ios. IV 11, 1 *ἱππέων καὶ πεζῶν* = Heg. IV 29, 4 *equitum et exercitus pedestris* (item Ios. IV 7, 4 = Heg. IV 15, 44). Tamen *pedites* nominat III 20, 57 et equites pluribus verbis designat V 29, 3. Sed nimis difficile interpreti est discrimen sententiarum, quae vocabulo equitis esse possunt, quamquam ubicunque ambiguitas oriri potuit, Iosephus cautus huiusmodi formulas interposuit: Ios. VI 2, 8 *τῶν ἀπὸ σπείρας τις ἱππέων Πεδάνιος*, VI 2, 10 *Πούδης ὄνομα τῶν ἐξ ἴλης ἱππέων.* Nihilominus Heg. II 4, 4 reddit Iosephi (antiq. XVIII 3, 4) verba *Μοῦνδος τῶν τότε ἱππέων ἐν ἀξιώματι μεγάλῳ* ineptissime his: *Mundus equestris militiae dux*, itemque Ios. bell. Iud. V 7, 3 *Λογγῖνός τις τῶν ἱππέων* = Heg. V 12, 17 *Longinus equestri militiae vir*, cum utroque loco hominem equestris ordinis dici in promptu sit. — Plurimum denique ne-

---

1) Aliter nimirum iudicandum est de differentiis huiuscemodi: Ios. II 19, 4 *ἑπτὰ σταδίους* Heg. II 15, 13 tertium stadium; Ios. III 9, 3 *διακόσιοι* Heg. III 20, 53 quingenta.

gotii interpreti fit ex nominibus ordinum militarium, quorum certo unum scit, alios aut prorsus neglegere aut verbis minus aptis exprimere solet. Scit enim *ἑκατοντάρχην* latino nomine dici centurionem (Heg. I 16, 42. 31, 10 III 15, 12 IV 1, 49 V 30, 1. 37, 19). Sed eodem nomine perverse appellat *ταξιάρχους* I 40, 86. 46, 21 III 3, 26 et *χιλιάρχους* I 28, 11 (IV 30, 8 *centurionibus et chiliarchis* = Ios. IV 11, 3 ubi soli *οἱ χιλιάρχοι* nominantur) et *ἡγεμόνας* I 30, 38 (= tribuni V 21, 11; plerumque *duces*) atque ipsum *ἵππαρχον* II 15, 19. — Quorum errorum maxime ridiculus est is, quod Ebutium *δεκαδάρχην* (Ios. b. Iud. IV 1, 5) facit Heg. IV 1, 48 *decemprimum.*

4) De interpretis lingua et genere: Cum ipse nusquam dilucidis verbis, cuius gentis sit, dicat, ex illis ipsis erroribus aliquid coniectura consequi studebimus. Ac primum offendit, quod in rebus Romanorum militaribus tam inexercitatus est tiro, tum quod Titum dicentem facit (V 7, 21) *cognoscite vos milites esse Romani imperii plebis senatusque*, deinde quia Iosephi verba (II 16, 4) *οὔτε γὰρ ὁ αὐτὸς ἐπίτροπος μενεῖ διὰ παντός, καὶ τοὺς διαδεξομένους εἰκὸς ἐλεύσεσθαι μετριωτέρους* pluribus verbis ita explicanda sibi esse putavit (II 9, 56): *annuis enim vicibus Romani magistratus mutantur. quo fit ut nec insolens diu maneat et moderatior cito succedat* (cf. Isid. orig. IX 3, 7); prorsus denique mirum, cur Iosephi verba (II 9, 1) *τῆς Ἀρχελάου δὲ ἐθναρχίας μεταπεσούσης εἰς ἐπαρχίαν οἱ λοιποί, Φίλιππός τε καὶ Ἡρώδης ὁ κληθεὶς Ἀντίπας, διῴκουν τὰς ἑαυτῶν τετραρχίας* tam inepte exaggeraverit Heg. II 3, 7 *Principatus gentis qui ad Archelaum pertinebat conversus est in nomen provinciae, quo nomine Romani, cum in ius suum vincendo redigerent, procul positas regiones provincias appellaverunt* (cf. Isid. orig. XIV 5, 9). *manserunt tamen tetrarchae ut erant Philippus et Herodes mutato vocabulo, qui Antipas prius nuncupabatur.* — Quae si quis consideraverit, vix verisimile iudicabit esse, auctorem Romanum [1]) vel Italum fuisse. — Porro si meminerimus, eundem nominibus nume-

1) Simul nimirum id apparet, interpretem fuisse post Constantinum i. e. post institutiones publicas immutatas: Heg. I 41, 79 nominat ‚militiae magistrum‘ (Ios. I 27, 1 *στρατοπεδάρχην*).

ralibus tam inscite usum esse, et complura verba graeca, quae in ceteris litteris latinis aut rarissime inveniantur, ut *diplois* (I 46, 16) [1]) *hypogeum* (I 6, 9. 7, 7. III 15, 17. V 49, 12. 17) *gazophylacium* V 48, 4 *monarchia* II 13, 6 *metropolis* IV 7, 24. 16, 2 *metropolitanus* IV 26, 46 *allophyllus* V 16, 46 *tetragonus* V 44, 65. 67 aut plane desunt, ut atelia [Heg. I 24, 32 *Romanae eum reipublicae honoribus affecit, ateliam quoque contulit* — Ios. I 9, 5 *πολιτείᾳ τε αὐτὸν τῇ Ῥωμαίων ἐτίμησε καὶ ἀτελείᾳ*] *democratia* [Heg. II 13, 25 *ad hoc tempus . . . democratia tenuit*], myriades V 49, 29, thymiaterium I 17, 16 V 2, 86. 9, 30, stolus II 9, 169, aristocratia II 13, 6, manganum (?) IV 20, 16, heptamyxus (?) V 9, 36 in hac interpretatione transcripta esse, et verba latina novari (p. 22), quae neque ante hunc neque post eum quisquam usurpavit quaeque magis minusve ab ingenio latinae linguae abhorreant, veluti III 26, 58 *fons inpinguis* (= inpinguans), V 22, 1 *ne Matthian quidem inexcruciatum necavit* (Ios. V 13, 1 *οὐδὲ Ματθίαν ἀβασάνιστον ἀνεῖλε*), V 42, 13 *aedificia inexusta reservare*, V 45, 13 *quid deberetur reverentiae sacerdotibus, non inexpressum reliquit* — harum igitur omnium rerum ratione habita fieri non posse credo, quin in suspicionem veniamus, sermonem latinum interpreti non fuisse patrium, sed disciplina seu consuetudine seu litteris perceptum. Cui sententiae reliquae orationis virtutes non officiunt, illud autem Sallustium aliosque imitandi studium optime convenit. Denique ut dicam quod sentio, ut Ammianus Marcellinus, cuius cum oratione multas similitudines habet, ille quoque interpres a pueris graeco sermone usus videtur esse [2]).

---

1) cf. Eucherius instruct. II 10 *Diplois in Regum libris: sagum vel chlamis ἀπὸ διπλόω, quod duplicetur.*

2) Praeterea de interpretis scientia linguarum haec fere coniectura assequimur: Ut parum liquet, utrum hebraica mensium nomina ut omnibus, qui libros suos legerent, nota an ipsi ignota retinuerit, ita nolim fidenter dicere hebraicae linguae fuisse eum peritum, cum verba Heg. IV 1, 10 *unde plerique a superioribus Camalam* [utique scribendum *Camelam*: cod. Cass. *Camellam*] *vocitatum putant, quod formam cameli praeferat, sed corrupto incolarum usu Gamalae*

5) De interpretis stirpe et religione: Supra iam demonstravimus, interpretem Christianae doctrinae addictum fuisse, neque opus est testimoniis ibi allatis alia, quamvis sint multa, addere. Aliud autem restat, ut argumentis comprobem. Ibidem enim (p. 18) dixi, ab illo Christianam fidem non contra Arianos, ut quarto saeculo catholicae doctrinae patroni solebant, defendi, sed contra Iudaeos semper disputari. Primum eos docet, ipsorum flagitiis Deique iusto iudicio factum esse, ut Hierosolyma deleretur et universa terra sancta devastaretur: praef. 16 *liqueat universis quod ipsi sibi propriae cladis auctores fuere* — II 3, 16 *et quia propositum*

---

nomen urbi inhaesit ignorantis videantur esse camelum hebraice nominari *gâmâl* (cf. Ios. IV 1, 1!). — Syriacam linguam se non nosse ipse non dissimulat, cum IV 16, 17 dicit: *aquarum vapor Syro sermone Ammaus appellari fertur etc.* (cf. Ios. IV 1, 3. Hieron. loc. Hebr. ed. Vall. III 147 et ad Genes. 36, 24); itemque menses, quos appellant Syro-Macedonum, interpretem non potuisse computare ex eo efficitur, quod enuntiatum Ios. IV 9, 7 *Μανναῖος διὰ μιᾶς ἔλεγεν ἐκκεκομίσθαι πύλης μυριάδας ἕνδεκα νεκρῶν ἐπὶ πεντακισχιλίοις ὀκτακοσίοις ὀγδοήκοντα, ἀφ᾽ ἧς αὐτοῖς ἡμέρας παρεστρατοπεδεύσατο τεσσαρεσκαιδεκάτῃ Ξανθικοῦ μηνὸς ἄχρι Πανέμου νουμηνίας* verbis ambiguis neque id, quod summum erat, declarantibus reddidit Heg. V 25, 2 *Manneus asserebat per unam portam sibi creditam CXV milia mortuorum elata additis adhuc DCCCLXXX funeribus, ex quo ipse tuendi vicem huiusmodi recepisset muneris.* — Ceterarum originationum — enodavit autem vocabula *Orontis* (oriens) et *Genesar* (generare) ex latina, e lingua graeca *Hierosolyma, Peraea, Thermae, Phiala, Daphne, opobalsamum* — postrema haec gravissima videtur, quod cum opobalsamum succum (ὀπός) balsami dicere soleant, ipse: *ideo cum adiectione* inquit *significavimus, quia agricolae cortice tenus virgulas incidunt eas, in quibus balsama generantur, ut per illas cavernas paulatim destillans humor se colligat. caverna autem graeco sermone ὀπή dicitur.* Nempe hoc enodandi periculum nisi qui graeca lingua pro sua utebatur, fecisse non videtur. — Denique perquam verisimile est, hominem genere Romanum, quantum spatii singula loca inter se distent, non stadiis, quae sola apud Hegesippum usu veniunt, sed Romana mensura expressurum fuisse; Beda certe duobus locis (itin. Hier. p. 226, 15 et 22) cetera ab Hegesippo (III 26, 19 et 31) ad verbum mutuatus stadia calculis secundum Isidori (orig. XV 16, 3) praeceptum subductis milliariis reddenda esse putavit, cum Adamnanus (itin. Hier. p. 179, 19 et 27) stadia recepisset.

nobis est aperire causas, quibus populus Iudaeorum a Romano imperio desciverit sibique exitium acceleraverit — III 20, 50 *quod ideo non praetermisi, quo clareat ab ipsis sibi Iudaeorum populis quam ab hoste periculum maius fuisse* (cf. II 12, 52. 13, 96. V 2 tota oratio V 18, 48. 53, 88). Deinde Iudaeis persuadere studet, ipsorum religione tanquam imagine significari tantum atque adumbrari, quae Christi opera et beneficio ad effectum adducta sint, quaeque a prophetis praedicta sint, ea a Christo perfecta esse: Heg. III 14, 5 *debebatur ut cessaret superstitio et vera religio succederet, evacuaretur umbra, veniret veritas ut iam non in monte sicut Samaritani, non Hierosolymis ter in anno sicut Iudaei, sed in spiritu in omni loco elevans puras manus omnis homo adoraret deum et in nomine Iesu genu flecteret;* maxime autem huc spectant, quae postquam illum interpolatum locum de Christo (Ios. antiq. XVIII 3, 3) cum fide rettulit, addit (II 12, 17): *si nobis non credunt Iudaei, vel suis credant. hoc dixit Iosephus, quem ipsi maximum putant, et tamen ita in eo ipso, quod verum loquutus est, mente devius fuit, ut nec sermonibus suis crederet. sed loquutus est propter historiae fidem, quia fallere nefas putabat etc.* (cf. I 16, 50. V 2, 110. 31, 54. 44, 71). Quamnam fuisse putas causam, cur illi adeo curae esset, ut Iudaeis persuaderet? Sed audi, quo rem deducam nisus his ab interprete ipso additis verbis: IV 5, 1 *Hactenus circumvagari licuerit, dum templi sancti a maioribus conditi et sacrae legis contagia refugientes circa alias urbes stilum occupamus. sed iam tempus est, ut quae Hierosolymis gesta sunt adoriamur non ingenio freti, sed ne patriae legi veterique cultui nostri doloris videamur negasse ministerium, fuerit licet in illis umbra non veritas, sed tamen umbra designat veritatis vestigia etc.*, denique V 2, 120 *oportuit uberiore quadam deploratione praeire nos funus quoddam paternae solemnitatis et velut quasdam exequias prosequi ac solvere iusta maiorum institutis. sed veniamus ad exordia obsidionis Hierusalem.* — Neque enim video, quo alio modo haec verba explicari possint nisi ita, ut interpretem ipsum fuisse prius Iudaeum vel certe ab Iudaeis ortum esse statuamus. Nam etiamsi Christianus quo est fidei studiosior, eo religiosius vetus testamentum colit, quis nisi ipse genere Iudaeus, Iudaeorum legem no-

minet ,patriam legem', Iudaeorum solemnitatem ,paternam solemnitatem, Iudaeorum denique instituta ,maiorum instituta'. Ac ne verba videar premere, ceteris neglectis illa verba Heg. V 44, 10 (quae prodigiis ex Iosepho expositis addit): *nec quisquam arbitretur aliena nos a cultu nostro et disciplina loquutos, primum quia non quid nobis videatur adstruimus, sed quid acciderit quaeve opiniones tunc temporis fuerint, quid prudentes senserint quid inprudentes, neque cum de secta Iudaeorum aliquit dictum est, ita scriptum videatur a nobis, quasi in veritate cultus eorum, non quasi in umbra et figura praemissos contexeremus, ut sequerentur perfectiora. nam de signis stellarum etiam in Evangelio docemur etc.* — haec inquam verba eius videntur esse, qui ipse olim huius Iudaeorum sectae fuerit. Neque enim quisquam nisi Iudaeus timere debuit aut potuit, ne ita perperam verba sua intellegerentur. An verbi causa Ambrosium subire potuit metus, ne talis suspicio, quam ille removere studet, in se caderet?

6) De patria interpretis aliquid certi statuere supra hominem aut infra criticum putandum est. Permulta sane verba de terrarum urbiumque situ facit, nusquam tamen terram ullam vel urbem patriam dicit. Sed etiamsi terra, in qua natus sit et habitaverit, nulla ratione ostendi potest, tamen spero fore ut contingat, ut terras inveniamus, quas peragraverit. Ac quoniam captivitatis Iudaicae libros tanti aestimatos esse, ut saepe ad terram sanctam describendam adhiberentur, supra vidimus, pronum est existimare, interpretem ipsum Palaestinam visisse. Consentaneum tamen est, ad hanc rem diiudicandam verborum, quae de chorographia afferuntur, ea tantum, quae non ex Iosepho sumpserit, aliquid momenti habere. Sunt autem hi loci tam multi, ut omnes afferre non liceat. Quare quamquam etiam ex minoribus rebus et ex ipsis negationibus aliquid grave ac verum colligi posse puto, tamen his paucis utor: Heg. IV 1 Gamala urbs ad lacum Genesar sita compluribus verbis describitur. Ordo quidem verborum alius est quam Iosephi, verba ipsa autem sunt fere eadem, praeterquam quod v. 5 apud Heg. exstant haec: *in posteriora aliquantum diffunditur, ab ea quoque parte angusto difficilique accessu, ut caudae simile iter iudices ad urbem meantibus,* quibus in Iosepho (IV 1, 1) nihil

respondet nisi *τὸ κατ᾽ οὐρὰν* (!) *δὲ ὀλίγον ἀναφεύγει τῆς δυσχωρίας, ὅθεν ἀπήρτηται τοῦ ὄρους . . .*

Tum in Alexandriae descriptione (Heg. IV 27 = Ios. IV 10, 5) cum multa alia (v. 7. 10—13. 16—21. 34—38) de suo addit interpres, tum illa: v. 2 *inter Aegyptum et mare quasi claustrum interiacet civitas inportuosa ut fere pleraeque Aegypti,* et v. 25 *quasi ad formam corporis humani, in capite ipso et statione capacior, in faucibus angustior etc.*, quae nemo nisi qui suis ipsius oculis urbem vidit, scribere potuisse videtur. Neque enim ex vano sumere potuit neque alterius verba repeti verisimile est, quia non dissimulare solet, si in locis describendis alienis adminiculis utitur. Ut perspicue in lacus Asphaltii descriptione intellegitur his ex verbis: v. 11 *opinio est* v. 14. 16 *ferunt* v. 25. 29 *fertur.* Quin etiam tam cautus est, ut Iosephi verba (IV 8, 4) *ἔστι δὲ ἐπὶ τούτῳ καὶ ἡ τῆς χρόας μεταβολὴ θαυμάσιος· τρὶς γὰρ ἑκάστης ἡμέρας ἀκτῖνας ἀνταυγεῖ ποικίλως* ita perstringit Heg. IV 18, 18 *multa fabulosa de hoc lacu plerique aestimaverunt, quae nobis inexpertis veritatem rei promere nequaquam consilium fuit. mutari etiam ter in die colorem aquae et ad radios solis varie refulgere non placuit pro vero locare, cum sit ipsius aqua lacus obscurior ceteris aquis et quasi adusti praeferens similitudinem cibi. certe si ad radium solis et ipsa resplendeat, nihil novum et quasi pro miraculo promendum, cum hoc commune sit aquis omnibus.* Quare cum ipsi res inexperta et Iosephi verba dubia sint, alios auxilio vocat scriptores, quorum unum appellare possumus: Tacitum hist. V 6, atque, quo nihil est gravius, eos exploravit, *quibus experiendi usus fuit.* Itemque Heg. IV 23, 31 confitetur *terebinthus (ad Chebron) utrum adhuc maneat incertum nobis est*, cum Ios. IV 9, 7 contendat: *μέχρι νῦν μένει.* — Itaque quoniam haec verba non sunt hominis temerarii neque fraudulenti, etiam in ceteris, ut par est, fidem ei habebimus. Idem enim Iosephi verba (III 3, 3 *τὸ πλεῖστον δὲ εἰς ἐλαίαν τε καὶ ἄμπελον καὶ φοινικῶνας ἤσκηται, διαρδομένη χειμάρροις τε τοῖς ἀπὸ τῶν ὀρῶν καὶ πηγαῖς ἀενάοις ἅλις, εἴ ποτε ἐκεῖνοι σειρίῳ φθίνοιεν. μῆκος* . . . ita amplificat Heg. III 6, 34 *maximeque olea vestitus ager aut vitibus intextus aut palmis insignitus. inenarrabile quanto decori sit, cum vento impulsi palma-*

rum ordines concrepant et suaviores solito funduntur dactylorum odores. nec mirum si omnis illic gratia viriditatis est, ubi amoenis fluviorum meatibus, ex superiore decurrentium iugo montium, superfusus ager rigatur, ut niveis fontibus scatens possideatur cum invidia, desideretur cum gratia. longitudo etc. Nonne verbis *inenarrabile etc.* dulcis quaedam recordatio declaratur? atque illa *ut possideatur cum invidia, desideretur cum gratia* sint licet nebulosa, certe non videntur nebulonis. — Deinde cum de fructibus circa lacum Genesar crescentibus dicat Heg. III 26, 44 praeter Iosephi verba (III 10, 8) *nec tamen aequantur illis superioribus. illi enim principales Palaestinae et quidem domestici fructus eoque uberiores, hi suppares et licet longo intervallo sed tamen proximi* atque cum de Samaritana Heg. III 6, 49 disserat *cum adhuc alibi serantur frumenta, istic metuntur. species quoque atque ipsa frumenti natura haut usquam praestantior habetur* (quorum nihil affert Ios. III 3, 4), satis iam videtur esse argumenti, cur credamus, ab ipso has regiones visu, ab ipso illos fructus gustatu explorata esse. — Maxime denique Antiochiae est gnarus, de qua Ios. III 2, 4 nihil nisi haec: Ἀντιοχείας, ἣ μητρόπολίς ἐστι τῆς Συρίας, μεγέθους τε ἕνεκα καὶ τῆς ἄλλης εὐδαιμονίας τρίτον ἀδηρίτως ἐπὶ τῆς ὑπὸ Ῥωμαίοις οἰκουμένης ἔχουσα τόπον. Contra Heg. III 5 non solum multis verbis urbis situm diligentissime exponit, sed etiam caeli amoenitatem (v. 18 *cuius fluentis ipso impetu, frigidioribus et zephyris assiduo per ea locorum spirantibus, tota civitas momentis prope omnibus refrigeratur, ut orientis in partibus orientem abscondat*) et *finitimum nemus intextum cupressis crebris, fontes aquae uberes* et populi mores (v. 22 *frequens et laetior populus ut pleraque orientis facetiorque prope omnibus sed propior* (cod. Cass.) *lasciviae*), quin etiam urbis aedificia cognovit. Omnibus enim explicatis addit haec: v. 25 *de situ urbis satis dictum puto. neque enim describendis eius aedificiis immorandum videtur. cuius a tergo cum orientem dixerim, satis liquet a laeva meridiem iacere, a fronte Europam occurrere, in dextra septentrionales gentes degere Caspiaque regna haberi etc.* Profecto credas patriam ab interprete describi, quod tanta cum diligentia et caritate quadam in hac urbe describenda versatur. Et cum aliquoties Antiochiae mentionem

faciat, ubi Iosephus non facit, ut Heg. V 46, 65. 31, 29 (I 41, 8), dubium esse non potest, quin urbem ipse viderit et societate quadam officii cum ea coniunctus sit. Sed patriam interpretis Antiochiam fuisse quin dicamus obstant cum alia tum id quod fluvium, qui urbem *medius intersecat*, nimio originationum studio adductus falso nomine Orientem pro Oronte nominat.

Sed tandem aliquando harum interrogatiuncularum finis esto uno in medium prolato loco, unde et huic quaestioni de interpretis cognitione terrarum et universae illi de Iosephi interprete institutae aliquid lucis affertur Heg. IV 18, 5: *nobis autem, quibus incultius ingenium est, cordi est patrum ex Aegypto egredientium usque in terram repromissionis repetere vestigia, ut si cui forte nostra in manus veniant, non nostra legat, sed patrum relegat. dulce est enim inter maiorum versari habitacula et veterum dicta factaque recensere.* Ad illam enim quaestiunculam revoco verba *patrum repetere vestigia* et *inter maiorum versari habitacula*, ex verbis autem *ut si cui forte nostra in manus veniant, non nostra legat sed patrum relegat* summa certe modestia elucet ac fortasse colligere licet, hanc Iosephi interpretationem sine auctoris nomine in lucem prolatam esse, ita ut, quod supra argumentis extrinsecus assumptis comprobabatur, id ab interprete ipso quodammodo significari existumes.

Utut autem haec res se habet, si quis postulet, ut interpretis imagini, quam dedita opera circumscripsimus lineamentisque aliquot adumbravimus, etiam nomen inscribatur, quaerentis illius, quod nomen Anchisae nutrici fuerit, similis videtur. Nimirum non divina, ut aiunt, virgula, sed exigua librorum supellectile adiutus rem aggressus sum. Quodsi cui ille quaestionis eventus non satisfecerit atque ipsi res retractanda videbitur, ei ex animi sententia dico ἀγαθῇ τύχῃ.

Dissertationis partes: